MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80397-7

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KAHLENBERG, WILHELM

TITLE:

DE PARAPHRASIS HOMERICAE...

PLACE:

STRASSBURG

DATE:

1903

Master Negative #

91-80397-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88HF
Z61

Kahlenberg, Wilhelm, 1879-
De paraphrasis Homericae apud tragicos poetas graecos vestigiis quaestiones selectae. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Guilelmus Kahlenberg ... Strassburg i. E., Hertzer, Hubert & Fritsch, 1903.
65 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Strasburg, 1902.

46541

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-26-91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Homer Paraphrase
Greek literature – Poetry
88 HF
263
no. 7

DE PARAPHRASIS HOMERICAE APUD TRAGICOS POETAS GRAECOS VESTIGIIS

QUAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS KAHLENBERG 1879.

ALSATA

STRASSBURG i. E.

BUCHDRUCKEREI HERTZER, HUBERT & FRITSCH, KINDERSPIELGASSE 20

1903

Von der philosophischen Fakultät genehmigt
am 15. November 1902.

BRUNONI KEIL

RICARDO REITZENSTEIN

EDUARDO SCHWARTZ

S

Lehrsii liber „De Aristarchi studiis Homericis“ quanto emolumento litteris fuerit, cum egregium in modum exponendis veterum grammaticorum studiis Homericis viam muniverit, non opus est fusius disserere. Neque tamen reticendum est, quod res cogit confiteri, doctissimum illum virum hic illic aut ea, de quibus recte grammaticus Alexandrinus disputavit, nimis gloriose praedicasse aut quae falsa ille protulit, diligentius obscurasse ita, ut invenirentur haud pauci, quibus unus Aristarchus omnium instar antiquorum grammaticorum in quaestionibus Homericis esset. Quae sententia ne in legem et religionem apud homines doctos abiret, inprimis factum est opera Augusti Nauckii, qui erroribus Aristarchi acriter patefactis optimo iure edixit eos quoque, qui ante Aristarchum in studia grammatica et Homerica incubuissent, audiendos esse neque acquiescendum in iis sententiis, quas ille vir Alexandrinus probasset; nam, ut ipsis Nauckii verbis utar: „nicht den Aristarchischen, sondern den voralexandrinischen Homertext herzustellen ist die Aufgabe und das wenngleich unerreichbare, doch immer anzustrebende Ziel der Kritik.“[1] Rectissime haec ut sunt dicta, ita sunt ex iis, quae dictu quam re sunt faciliora; nam exigua ad quaestiones gravissimas et difficillimas, quae inde oriuntur, diluendas subsidia suppetunt, quippe cum desit nobis fons ille, quem omnium primum nos adire consentaneum est, dico grammaticorum antiquorum commentarios lexica artes. Tanta enim erat Alexandrinorum apud veteres auctoritas, ut eorum, qui antecesserant, grammaticorum studia omnia fere oblivione obruta sint; raro tantum ea, quae antiquiores γλωσσογράφοι

---

[1] Mél. Gréco-Rom. III p. 13.

enucleaverant, ab Aristarchi discipulis prodita sunt, eaque, ut res fert, plerumque errata; etenim quae bene isti prioris aetatis grammatici expediverant, tacite et Aristarchus magister suum in usum converterat et discipuli in horrea sua condiderunt; contra ea, quae falsa esse iudicaverunt illorum grammaticorum inventa, nominibus auctorum saepe additis et ille oppugnavit et sectatores ad augendam magistri gloriam acriter recensuerunt. Quae cum ita sint, alia auxilia circumspicere opus est; nec desunt quae accersamus. —

Jam iis temporibus, quibus primis in communem Graecorum morem receptum est, ut pueri in ludis litterarum Homeri carmina ediscerent — quod quinto ante Chr. nat. saeculo vel adeo sexto factum esse constat —, multa verba a cotidiano sermone aliena atque ita inusitata vel obsoleta fuisse necesse est, ut nemo nisi eruditus quid significarent primo optutu intellegere posset. Quae voces, quas glossas appellare solebant, ludorum magistris Homerum tractantibus explicandae erant et explicabantur. Cuius rei testem habemus antiquissimum eundemque locupletissimum Aristophanem, qui in Daetalensium fabula, quam primam omnium docuit, patrem senem facit filii doctrinam sciscitantem hisce verbis: (frg. 222 Kock)

πρὸς ταῦτα σὺ λέξον Ὁμήρου ἐμοὶ γλώττας, τί καλοῦσι κόρυμβα;
τί καλοῦσ' ἀμενηνὰ κάρηνα;

Talium igitur glossarum usu exercitati erant cum omnes Graeci litteris vel mediocriter imbuti, tum poetae, qui Pindaro et Bacchylide testibus ipsi se nec sine causa *σοφούς* appellabant. Jidem autem cum carminum vel fabularum argumenta inprimis ab Homeri caena opima mutuarentur, ipsa hac rerum imitatione adducebantur, ut verba Homerica aut simpliciter reciperent aut variis circumlocutionis modis usi imitarentur; quod dum faciunt, modo singula loci cuiusdam Homerici vocabula immutant, modo verba carminis epici tam licenter in rem suam convertunt, ut e sensentia magis quam e dictione memoria Homerica deprehendatur. Quacumque vero imitationis ratione usi sunt, necesse est eos verba, quae imitati sunt, intellexisse et ipsa imitatione quomodo intellexissent significasse. Jam

igitur patet, non solum in glossis illis Homericis a tragicis adhibitis antiquissimae interpretationis Homericae vestigia deprehendi — quem locum sollerter sagaciterque Bodenheimerus noster tractavit [1] —, sed etiam imitationum Homericarum apud tragicos exemplis diligenter collectis largum fontem aperiri posse, ex quo obsoletorum et intermortuorum verborum explicationes grammaticis Alexandrinis superiores hauriantur. Atque in hoc quaestionis genere magnam sibi peperit laudem Augustus Nauck, qui A 4 sq.:

αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
οἰωνοῖσί τε π ᾶ σ ι,

pro stulto illo *πᾶσι*, quod mala quadam Aristarchi [2] coniectura probata in libros nostros irrepsit, Zenodoti lectionem: *οἰωνοῖσί τε δ α ῖ τ α* restituit, diligenter comparato Aeschyli loco *Suppl.* 800:

κυσὶν δ' ἔπειθ' ἕλωρα κἀπιχωρίοις
ὄρνισι δ ε ῖ π ν ο ν οὐκ ἀναίνομαι πέλειν,

quo aperte demonstratur, iam Aeschylum *οἰωνοῖσί τε δ α ῖ τ α* in Homeri libris legisse. Quo illustri Homeri verba emendandi specimine doctus Aeschyli Sophoclis Euripidis [3] tragoedias diligenter perlustravi proferamque ex illis nonnulla paraphrasis Homericae exempla; quibus adiungam pauca a Bodenheimero omissa corrigamque ea, in quibus erravit. —

Sed priusquam ad rem ipsam aggrediar, pauca praemonenda sunt. Atque primum quidem poetae tragici, quod ad nostram quidem quaestionem attinet, magnopere inter se differunt. Aeschylum enim permultis locis Homeri vestigia premere iam aequalibus non ignotum erat, quoniam facete Aristophanes

---

[1] Maxim. Bodenheimer, *De Homericae interpretationis antiquissimae vestigiis nonnullis* (Argent. 1890).

[2] Quam coniecturam revera Aristarchi esse affirmavit Wilamowitz *Hom. Unt.* p. 20.

[3] Versuum numeros sequar in Aeschylo Weilianos, in Sophocle Schneidewinianos, in Euripide atque in tragicorum fragmentis Nauckianos.

illius studium omnia epico quodam colore depingendi ita derisit, ut Aeschylum ipsum dicentem faceret sese induxisse: (*Ran.* 1016)

πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ λευκολόφους τρυφαλείας
καὶ πήληκας καὶ κνημῖδας καὶ θυμοὺς ἑπταβοείους. —

Sed noli putare talia ab Aeschylo arcessita atque consulto quaesita esse, immo ipsius ingenio congruebant, quippe qui totus in illorum hominum societate versaretur, qui Homeri carmina summa religione colebant. Quod apud Sophoclem non ita valet, quamquam et hic in Aiace nec minus in Electra multis modis Homerum imitatus est. Qui si nihilominus ante omnes *φιλόμηρος, ζηλωτὴς Ὁμήρου* sim.[1] appellari solet, causam recte intellexit Aristoteles *poet.* cap. 3: *ὥστε τῇ μὲν ὁ αὐτὸς ἂν εἴη μιμητὴς Ὁμήρῳ Σοφοκλῆς, μιμοῦνται γὰρ ἄμφω σπουδαίους.* *Φιλόμηρος* igitur Sophocles habendus est, quod — sicut epicus ille poeta — homines non nisi eximia virtute praeditos vel pulcherrimis facinoribus praeclaros fingebat. Euripides contra in tanta fabularum versuumque copia rarus invenitur Homeri imitator; cuius rei duae potissimum videntur fuisse causae. Commutatae erant temporum condiciones; una cum iis, quos antiqui secuti erant, moribus etiam Homerus, illorum praeco, de auctoritate sua deperdiderat apud homines in quavis liberalis civitatis licentia exultantes: nova poscebantur. Alterum est, quod a prioribus poetis res ab Homero traditae iam totiens tractatae erant, ut Euripides ad alios historiae fabularis auctores confugisse credendus sit, a quibus nova fabularum argumenta quaereret. Minime igitur mirum est, unum tantum extare argumentum, quod Euripides ab Homero petivit, Cyclopem dico; nam Rhesi fabula[2] in censum non venit. Rara vero in ipsa Cyclopis fabula paraphrasis Homericae exempla

[1] Cf. de his dictis Sengebusch, *Hom. diss. prior.* p. 171 sq.

[2] Eam, quae nobis superest, tragoediam „Rhesus“ inscriptam non esse Euripideam, sed intra annos 370—360 ante Chr. natum compositam esse non ignoro; liceat tamen in nostra quaestiuncula eam Euripidis nomine notare.

sunt. Quae autem ceteris in tragoediis ad Homerum ficta esse putantur, saepe ad Aeschylum redeunt, velut *λαμπρὸν ἡλίου φάος Med.* 752 ad *Agam.* 658 (cf. A 605), vel *ἔπαισαν ἅλμην Iph. Taur.* 1391 ad *Pers.* 397, quo loco Aeschylus imitatus erat ι 104: *ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς.* —

Deinde tenendum non omnes tragicorum locos, quibus imitationem Homericam subesse patet, ad nostram quaestionem solvendam conferri posse; quorum duo potissimum genera distinguuntur. Alterius ii sunt loci, quibus poetae sententiam Homericam tam generaliter in usum suum converterunt, ut qualem singularum dictionum interpretationem amplexi sint, perspici non possit.[1] Alterum genus eorum est locorum, quibus tragici poetae verba Homeri ipsa quidem imitati sunt, sed tam parvis adhibitis mutationibus, ut suam verborum interpretationem non indicarent.[2]

Postremum monendum puto, permultum interesse inter antiquissimos poetas tragicos et eos poetas, qui Alexandrinorum temporibus carmina condebant; hi enim cum non solum poetae, sed etiam grammatici esse vellent, exquisitae scientiae copias undique conquisitas in ipsis carminibus deponere studebant; itaque Homeri sententias ita imitabantur, ut quivis vir doctus — his enim solis scribebant — quomodo ipsi illas interpretati essent, intellegeret; quin etiam poetica illa paraphrasi eo utebantur consilio, ut ea vel ipsa eos, qui aliter sentiebant, grammaticos corrigerent atque vexarent. Aliter res se habet apud tragicos illos poetas, qui cum Homerum imitabantur, nihil aliud nisi ipsam imitationem consequebantur; ergo quo minus quaesita atque artificiosa paraphrasis, eo minus plana atque aperta legentium animis.

[1] Cf. Aeschyl. *Cho.* 345 sqq. = κ 237 sqq.; *Cho.* 896 sqq. = X 79 sqq.; Soph. *Ai.* 500 sqq. = Z 459 sqq. + X 490 sqq.; Euripid. *Suppl.* 774 sqq. = I 406 sqq.

[2] Cf. *δηξίθυμον Agam.* 743 vel *καρδιόδηκτον Agam.* 1471 cum *θυμοδακής* θ 185, vel *βυσσόφρων Cho.* 651 cum *κακὰ φρεσὶ βυσσοδομεύων* θ 273, *ῥυτοῖς πόροις Eum.* 452 cum *ὑγρὰ κέλευθα* A 312, al., *νόστιμον βλέπω φάος Pers.* 261 cum *νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι* ε 220 al.

Summa igitur diligentia, ne fallamur, opus est; atque nimis cautus providusque in disserendo videri malim quam praeceps atque temerarius. Jam ad rem ipsam accedamus. —

AESCHYLUS.

Agam. 676 sq.:

εἰ δ᾽οὖν τις ἀκτὶς ἡλίου νιν ἱστορεῖ
καὶ ζῶντα καὶ βλέποντα.

Sic codices; Toupius collato Hesychio: *χλωρόν τε καὶ βλέποντα ἀντὶ τοῦ ζῶντα* traditum illud *καὶ ζῶντα* in *χλωρόν τε* mutandum esse censuit: *ζῶντα* enim illud explicandi causa supra *χλωρόν* apud Aeschylum scriptum fuisse, quod cum postea errore quodam in textum irrepsisset, vocem genuinam expulisse. Attamen si Homeri sententiam, ex qua versus illi manasse videntur *δ* 833:

εἴ που ἔτι ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο,

diligenter respexeris, haud scio an facile adducaris, ut eam quam codices exhibent, lectionem contra Toupii coniecturam defendas, idque eo magis, quo accuratius comparaveris alterum locum, ubi Aeschylus illam Homeri sententiam secutus est, *Pers.* 299:

Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ βλέπει φάος.[1]

Cho. 410 sqq.:

πέπαλται δ᾽αὖτέ μοι φίλον κέαρ
τόνδε κλύουσαν οἶκτον.
καὶ τότε μὲν δύσελπις
σπλάγχνα δέ μοι κελαινοῦται πρὸς ἔπος κλύουσα.

[1] Cf. Eurip. *Hel.* 530 sq.: φησὶ δ᾽ἐν φάει
πόσιν τὸν ἀμὸν ζῶντα φέγγος εἰσορᾶν.

Totus hic locus epico ut ita dicam colore tinctus esse videtur. Ut enim *φίλον κέαρ* in memoriam reducit illud Homeri *φίλον ἦτορ*, ita ipsum illud *πέπαλταί μοι κέαρ* invenimus *X* 451 sq:

ἐν δέ μοι αὐτῇ
στήθεσι πάλλεται ἦτορ.

Itaque non errabimus, si etiam sententiae: *σπλάγχνα δέ μοι κελαινοῦται* subiectam esse aliquam Homeri paraphrasin suspicabimur. In qua investiganda optime nos ducit schol. h. l. qui recte explicat: *ταράσσεται*. Aeschylus enim interpretatus esse videtur illud *Φ* 551:

πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρε μένοντι.

Quod verbum *πορφύρω* proprio sensu positum uno tantum apud Homerum loco reperitur *Ξ* 16:

ὡς δ᾽ ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ.

Ad quem locum conferas Aristonicum: *ἡ διπλῆ ὅτι πορφύρῃ μελανίζῃ. εἴωθε δὲ ὅταν ἀρχὴν λαμβάνῃ κινήματος ἡ θάλασσα μελανίζειν. διὸ μεταφέρει ἐπὶ τοὺς κατὰ ψυχὴν μεριμνῶντας καὶ ταρασσομένους*; neque raro verbum *πορφύρειν* ad significandam animi mentisque motionem usurpatum invenimus, velut *Φ* 551 l. s. c., *δ* 427 al, ubi schol. B haec praebet: *ἐν βάθει τῆς διανοίας διενοεῖτο, ἐκινεῖτο, ἐταράσσετο, ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τῶν ὑδάτων ἃ ἐκ βάθους κινούμενα μελαίνεται.* —

Quaecunque autem huius modi proferuntur, non dubium est, quin voci *πορφύρω* ab initio insit significatio motionis, coloris tamen secundum locum obtinere. Quare haud scio an assentiamur Curtio *Etym.* 415 qui putat illud *πορφύρω* reduplicatum esse e *φύρω*, quod factum sit e *φυρ-*, skt. bhur (bhuráti = rasche und zappelnde Bewegung machen; cf. Brugmann-Delbrück, *Grundr. d. vergl. Gram. indog. Spr.* II p. 93).[1] Attamen concedendum est, primaria illa notione satis antiquis

[1] Cf. L. Meyer, *Griech. Etym.* II p. 615 sq.

temporibus oblitterata coloris tantum significationem mansisse; iam Aeschylum vocem ita interpretatum esse apparet ex ipsius paraphrasi: *σπλάγχνα δέ μοι κελαινοῦται.* —

Eisdem autem verbis: *πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρε* illustrari posse mihi videtur Homericum illud *φρένες ἀμφιμέλαιναι*; cuius de sententia cum magna inter recentiores exorta sit dissensio, pauca dicere mihi liceat. Ad Homeri enim A 103 schol. A haec praebet: *ἀμφιμέλαιναι αἱ ἐν βάθει κείμεναι ἢ τεταραγμέναι διὰ τὴν ὀργήν.* Qua interpretatione adducti nostrae aetatis viri docti, qui quidem sententiae *φρένες ἀμφιμέλαιναι* explicandae operam navaverint, in duas partes discesserunt. Quorum alteri, ut Ameis LaRoche al. (cf. Ebeling s. v.) illud *ἐν βάθει κείμεναι* tuentur, quod *φρένες* semper ac natura sint nigrae, alteri ut Goebel Doederlein affectum quendam brevem et ad tempus ortum intellegunt. Ebelingi vero, qui Ameisium sequitur, sententia haec est: „praecordia in intima parte corporis quasi abdita ideoque luce carentia et ab omni parte nigra, ringsumdunkelt." Qua explicatione haud scio an paucis persuaserit; sed verba scholiastae ipsa vitiosa esse videntur; quae facile sanantur. Certo enim concluditur e sententia a schol. A ad A 103 prolata: *ἀμφιμέλαιναι . . . . , ἀπὸ τῆς τῶν ὑδάτων μεταφορᾶς,* interpretem verbis *φρένες ἀμφιμέλαιναι* voluisse quandam cum verbo *πορφύρω* similitudinem inesse. Quodsi huius verbi interpretationes supra commemoratas perquisiveris, velut schol. A ad δ 427: *ἐν βάθει τῆς διανοίας διενοεῖτο, ἐκινεῖτο, ἐταράσσετο,* facile intelleges, non *αἱ ἐν βάθει κείμεναι* scribendum esse, sed *κινούμεναι.* Qua parva mutatione totam controversiam compositam esse puto. —

Sed quaenam vera est vocis *φρένες ἀμφιμέλαιναι* interpretatio? — Difficile nimirum nostris quidem temporibus definitur; tamen iis Homeri locis, qui principalem illius vocis significationem tueri videntur, diligenter comparatis discimus, poetam minime de praecordiis et natura et semper nigris cogitasse. Tales autem locos iudico P 83:

Ἕκτορα δ' αἰνὸν ἄχος πύκασεν φρένας ἀμφιμελαίνας

et A 101 sqq.:

τοῖσι δ' ἀνέστη
ἥρως Ἀτρεΐδης εὐρὺ κρείων Ἀγαμέμνων
ἀχνύμενος· μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
πίμπλαντ', ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην,

quibus agitur de affectu quodam sive luctus sive irae (*μένος* enim hic non significat „animus fortis" sed „furor atque ira"). Utroque enim loco explicandum est: „cor quasi nube luctus vel irae tegitur ita, ut ab omni parte tenebris offusum i. e. nigrum videatur". Ex loco autem A 103 male intellecto postea fluxerunt P 499:

ἀλκῆς καὶ σθένεος πλῆτο φρένας ἀμφιμελαίνας

et P 573:

τοίου μιν θάρσευς πλῆσεν φρένας ἀμφιμελαίνας,

ubi adiectivum *ἀμφιμέλαιναι* paene epitheti descriptivi munere fungitur.

Aeschylum vero recte vocem interpretatum esse aperte docet eius paraphrasis, qua semper affectus quidam significatur, velut *Pers.* 114:

ταῦτά μοι μελαγχίτων
φρὴν ἀμύσσεται φόβῳ [1]

(animus timore quasi veste nigra circumdatus) [2] et *Suppl.* 785

κελαινόχρως δὲ πάλλεταί μου καρδία,

ubi schol: *ἀντὶ τοῦ τεταραγμένη. ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῆς θαλάσσης, ἥτις ἐν τῷ ταράσσεσθαι μελαίνεται.* —

---

[1] Quae sententia etiam maiore licentia ficta est quam ea, ex qua fluxit A 243: σὺ δ' ἔνδοθι θυμὸν ἀμύξεις.

[2] Cf. *Pers.* 161; similia invenias apud Bacchyl. 16, 17:

μέλαν δ' ὑπ' ὀφρύων
δίνασεν ὄμμα, καρδίαν τέ οἱ
σχέτλιον ἄμυξεν ἄλγος (item Bacchyl. 17, 11).

Ceterum cf. Pindar. *frg.* 225: μέλαιναν καρδίαν ἐστυφέλιξεν.

Cho. 984 sq.:

ὡς ἴδῃ πατὴρ
οὐχ οὑμός, ἀλλ᾽ ὁ πάντ᾽ ἐποπτεύων τάδε
Ἥλιος.[1]

Quae cum dicit Aeschylus certo paraphrasin sententiae Homericae omnibus notae *Γ* 277 al. praebere voluit:

ἠέλιός θ᾽, ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.

Sed notandum est idem epitheton etiam Jovi attribui *Eum.* 1045: *Ζεὺς ὁ παντόπτας,* quod idem apud Sophoclem invenimus *Ant.* 184: *ἐγὼ γάρ, ἴστω Ζεὺς ὁ πάνθ᾽ ὁρῶν ἀεί* et *O. C.* 1085: *ἰὼ Ζεῦ, πάνταρχε θεῶν, παντόπτα.*

Quibus locis haud scio an quisquam adducatur, ut credat genus quoddam *θεοκρασίας* praesertim ad summos Graecorum deos pertinens iam tragicorum temporibus exortum esse. Huc vero accedit, quod de Sole dicitur Soph. *O. R.* 660: *οὐ τὸν πάντων θεῶν θεὸν πρόμον Ἅλιον.* Attamen quod „omnia circumspicere" non solum Solis, sed Iovis quoque ut omnium potentissimi dei esse Aeschylus putavit, non mirabimur; sed illud, quod Sophocles Solem manifesto deorum principem appellavit, iam antiquis singulariter dictum esse ideoque notandum videbatur. Refert enim Achilles grammaticus (Maass, *comm. Arat.* p. 82): *οἱ δὲ Δία τὸν ἥλιον νοήσαντες λέγουσι ὅτι καὶ Σοφοκλῆς* (*frg.* 1017):

Ἥλι᾽, οἰκτίροις ἐμέ,
[ὃν] οἱ σοφοὶ λέγουσι γεννητὴν θεῶν
[καὶ] πατέρα πάντων.

Eum. 89:

Aeschylus Apollinem his verbis Mercurium alloquentem facit:

σὺ δ᾽ αὐτάδελφον αἷμα καὶ κοινοῦ πατρὸς
Ἑρμῆ,

[1] Cf. *Suppl.* 139: πατὴρ ὁ παντόπτας, *Prom.* 91: τὸν πανόπτην κύκλον Ἡλίου, *frg.* 192: ὁ πανόπτας Ἥλιος.

ita ut ab usitata genealogia cum discrepare atque eandem Mercurio quam Apollini matrem dicere facile crediderís; hoc enim *αὐτάδελφος* (cf. *δελφύς*) adiecto vel opposito illo *κοινοῦ πατρός* significare videtur. Quod si faceret, ipse secum pugnaret; dicit enim *Cho.* 812:

συλλάβοι δ᾽ ἐνδίκως
παῖς ὁ Μαίας ἐπιφορώτατος
πρᾶξιν οὐρίαν θέλων

et *frg.* 384: *ἐναγώνιε Μαίας καὶ Διὸς Ἑρμᾶ.*

Sed verisimilius est, Aeschyli temporibus nondum in usu fuisse illam vocis *ἀδελφός* explicationem quam tradit Hesychius s. v. *ἀδελφοί· οἱ ἐκ τῆς αὐτῆς δελφύος γεγονότες. δελφὺς γὰρ ἡ μήτρα λέγεται.* Neque putandum est proposito illo *αὐτ* — sententiam ita vertisse Aeschylum, ut significaret: „una eademque matre exortus"; *αὐτάδελφος* enim tragicorum temporibus nihil aliud significabat atque *ἀδελφός,* idemque de similis adiectivi *αὐτανέψιος* usu statuendum est,[1] de quo Pollux 3,28: *οἱ μὲν αὐτανέψιοι οὐδὲν πλέον τῶν ἀνεψιῶν, ἀλλ᾽ ἄντικρυς ταὐτόν.* Illustratur autem totus ille locus, ubi primum intelleximus, illud *αὐτάδελφον αἷμα καὶ κοινοῦ πατρός* fixam esse formulam ab Aeschylo ex Homero depromptam, cf. e. g. M 371:

καί οἱ Τεῦκρος ἅμ᾽ ἦε κασίγνητος καὶ ὄπατρος,[2]

ubi agitur de Aiace et Teucro fratribus, qui minime dici possunt *ὁμομήτριοι;* neque Aeschylus ipse adiectivum *κασίγνητος*[3] ita interpretatus est.

---

[1] Cf. Wackernagel, *K. Z.* 33 (1895) p. 14.

[2] Adiectivum ὄπατρος explicatur a schol. A ad Λ 257: ὁμόπατρος et ab Apoll. Soph. 121,21: τοῦ αὐτοῦ πατρὸς γεγονώς.

[3] Quin etiam de adiectivo Homerico αὐτοκασίγνητος dubitari potest, num semper significet: οἱ ἐξ ἀμφοτέρων τῶν γονέων ἀδελφοί, cf. Ebeling s. v.; de cuius adiectivi origine nova eaque probabilia protulit Wackernagel l. l. p. 14 sq, qui putat distinguendum esse: αὐ-τοκασί-γνητος (*τοκασι: τεκοῦσα).

Eum. 398 sqq.:

ἀπὸ Σκαμάνδρου γῆν καταφθατουμένη
ἣν δῆτ' Ἀχαιῶν ἄκτορές τε καὶ πρόμοι,
τῶν αἰχμαλώτων χρημάτων λάχος μέγα,
ἔνειμαν αὐτόπρεμνον εἰς τὸ πᾶν ἐμοί.

Verbis *Ἀχαιῶν ἄκτορές τε καὶ πρόμοι* accurate transtulit Aeschylus Homeri sententiam illam, quae saepe reperitur, velut B 79:

ὦ φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες.

Illud Homericum *μέδοντες* explicatur E. M. 575,8: *μέδοντες, πρόβουλοι, βασιλεῖς,* cui explicationi Aeschylus assensisse videtur, quippe quem, sicut omnes tragici poetae facere solent, illud *πρόμος* voci *βασιλεύς* adaequasse constet; quod cum fecit, in numero habendus est eorum, quos recte improbat Aristarchus (schol. *A* ad *Γ* 44): *ἡ διπλῆ ὅτι κατὰ συγκοπὴν τὸν πρόμαχον εἴρηκεν, οὐχ ὡς οἱ γλωσσογράφοι τὸν βασιλέα.*

Pers. 27 sq.:

φοβεροὶ μὲν ἰδεῖν, δεινοὶ δὲ μάχην
ψυχῆς ἐν τλήμονι δόξῃ.

Quo loco pro *ἐν τλήμονι,* quod per commutationem quandam ad *ψυχῆς,* non ad *δόξῃ* referendum est, recentiores libri *εὐτλήμονι* praebent, schol.: *ἐντλήμονι,* quod vertit voce *καρτερικός;* utrumque autem singulare quoddam adiectivum est, cum *ἐντλήμων* nullo alio loco reperiatur, *εὐτλήμων* vero, quod apud unum Euripidem (*Med.* 865) prostat, Hermanni coniectura irrepserit, ita ut neutrum nobis probetur.[1] Multo autem difficilius haud scio an diiudicetur, quid illud *δόξῃ* sibi velit; explicat enim schol. h. l. *δόξῃ γνώμῃ φιλοτιμίᾳ, ἐν ἄλλοις ἐνυποστάτῳ* (l. *ἢ ἄλλως ἀνυποστάτῳ*) *δοκήσει καὶ πείσματι ψυχῆς.* Cum qua interpretatione optime Heimsoethius[2] comparavit Hesychium

[1] Neque aliter sentias de adiectivo *ἀτλήμονι,* quod est in G prim. man. et apud Rob.

[2] *Kritische Studien zu griech. Trag.* I p. 199.

s. v. *πείρῃ· πείσματι. καὶ χώρᾳ* (l. *κατὰ χώραν*), quae glossa aperte redit ad *υ* 23:

ὣς ἔφατ', ἐν στήθεσσι καθαπτόμενος φίλον ἦτορ·
τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα
νωλεμέως· ἀτὰρ αὐτὸς ἑλίσσετο ἔνθα καὶ ἔνθα.

Congruit autem Hesychius cum schol. h. l.: *ἐν πείσῃ· ἀντὶ τοῦ κατὰ χώραν. οὐκέτι ἦν ἐν κινήσει, ἀλλ' ἐν δεσμοῖς ἔμενεν.* Hic igitur interpres Ulixem huc atque illuc volvi putat, cum ipsius cor quasi vinculis religatum iaceat; cui explicationi etiam Plutarchus assensus est, qui dicit (*de cohib. ira* p. 453 C D): *κατὰ χώραν ἐν τῇ Ὁμηρικῇ πείσῃ μένοντα τὸν θυμόν.* Sed pergit schol. ad *υ* 23: *ἢ οἷς ἐπέπειστο καὶ ἐγνώκει. πεῖσα ἡ πειθὼ ἀπὸ τοῦ πείσω;* quae interpretatio ut totius loci sententiae aptissima est, ita grammaticorum legibus minime repugnat.[1] Illud *πεῖσα* igitur nihil aliud est nisi „persuasio" vel, ut Graece dicam, «*δόξα*». —

Aeschylus autem cum toto hoc loco illam Odysseae partem respiciat — velut cum *Pers.* 133:

λέκτρα δ' ἀνδρῶν πόθῳ πίμπλαται δακρύμασιν,

cf. *υ* 58 (de Penelopa):

κλαῖε δ' ἄρ' ἐν λέκτροισι καθεζομένη μαλακοῖσιν,

vel cum *Pers.* 10 sqq:

κακόμαντις ἄγαν ὀρσοπολεῖται
θυμὸς ἔσωθεν·
πᾶσα γὰρ ἰσχὺς Ἀσιατογενὴς
ᾤχωκε, νέον δ' ἄνδρα βαΰζει

cf. *υ* 13: *κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει,* denique cum nostro loco *Pers.* 28: *ψυχῆς* et *τλήμονι* cf. *υ* 23: *κραδίη* et *τετληυῖα,* — etiam illud *πείσῃ* verbo *δόξῃ* imitari videtur, ex qua paraphrasi apparet eum vocabulum *πεῖσα* a *πείθω* ducendum putasse. Quod autem Heimsoethius illud *πείσῃ* ipsum Aeschyli

[1] Cf. Lobeck. *path. prol.* p. 419.

libro inseri voluit, ei assentiri nequeo Ceterum illud *ἐν τλήμονι* minime coniectura vexandum est, cum *ἐν* praepositio non raro cum dativo quem vocant instrumenti coniungi soleat[1] et apud Homerum quoque extet: *ἐν πείσῃ*.

Pers. 230 sqq:

κεῖνο δ' ἐκμαθεῖν θέλω,
ὦ φίλοι, ποῦ τὰς Ἀθήνας φασὶν ἱδρῦσθαι χθονός.
— τῆλε πρὸς δυσμαῖς, ἄνακτος Ἡλίου φθινάσμασι.

Qui versus certo ficti sunt ad illud Homeri *α* 22 sqq:

ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας,
Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν,
οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

Quaenam vocabuli *Ὑπερίων* statuenda sit origo, hic praetermittam[2]; id tantum monendum puto, praeter *Ὑπερίων* apud eundem Homerum aliam extare formam *Ὑπεριονίδης*,[3] inter quas quae ratio intercedat, viri docti dubitabant.[4] Ego quidem pro certo habeo, duobus illis nominibus unum Solem significari, quam sententiam et Eustathius (1710,45 ad *μ* 176) exhibet: *Ὑπεριονίδην δὲ Ἥλιον λέγει ἐντελῶς, ὃν ἀλλαχοῦ φησὶ συγκεκομμένως Ὑπερίονα*, et Suidas 3098 C: *Ὑπερίονα· τὸν ἥλιον . . . . . καὶ Ὑπεριονίδης ὁ αὐτός;* neque dissentio ab Ameisio qui dicit (l. l. p. 13) iam apud Homerum in usu fuisse „eine und dieselbe Person mit dem *πρωτότυπον* und *πατρωνυμικόν* nebeneinander zu bezeichnen“.[5]

---

[1] Ita saepe apud Pindarum; de scriptoribus pedestribus cf. Vahlen, ad Aristot. art. poet. p. 1447 a.

[2] ὑπὲρ ἡμᾶς ἰών Eust. 1383,37 al; ὑπὲρ ἰέναι G. Hermannus, ex Ὑπεριονίων concisum alii; de qua re conferas Ebeling, *lex. Hom.* s. v. Ὑπερίων.

[3] *μ* 176, quem versum eiciendum esse statuerunt Haacke Nitzsch; quorum sententiam refellit Ameis, *hom. Kleinigk.*, Progr. Mühlhaus. 1861 p. 11.

[4] de qua re argute egit Ameis l. l. p. 10.

[5] Cf. Buttmann, *ausf. Sprachl.* II p. 438, Lobeck *Elem.* I p. 392 sq.

Quod cum nonnulli eorum, qui Homerum secuti sunt, poetae iam nescirent, non mirum est, quod Hyperionem Solis fuisse patrem ex patronymico illo *Ὑπεριονίδης* recte sese collegisse putabant. Inter quos conferas velim hymn. Hom. XXXI, 4 (Baum):

γῆμε γὰρ Εὐρυφάεσσαν ἀγακλειτὴν Ὑπερίων,
αὐτοκασιγνήτην, ἥ οἱ τέκε κάλλιμα τέκνα,
Ἠῶ τε ῥοδόπηχυν, ἐϋπλόκαμόν τε Σελήνην
Ἠέλιον τ' ἀκάμαντ', ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν,

hymn. V, 26:

Ἠέλιός τε ἄναξ, Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός,

neque aliter hymn. XXVIII, 13; quorum in numero Pindarus quoque grammaticis habendus esse videbatur, cum ad *Ol.* VII, 39:

τότε καὶ φαεσίμβροτος δαίμων Ὑπεριονίδας

haec praebeant: *ὁ Ὑπερίονος παῖς. Ὑπερίων δὲ εἷς τῶν Τιτάνων κατὰ τὴν τοῦ Ἡσιόδου Θεογονίαν* (371 sq):

Θεία δ' Ἠέλιόν τε μέγαν λαμπράν τε Σελήνην κτλ.
γείναθ' ὑποδμηθεῖσ' Ὑπερίονος ἐν φιλότητι.

Plerique vero recte Homerum intellegebant, nimirum Hyperionem Solem ipsum esse; quorum in numero Aeschylum fuisse ex nostro loco apparet.

Prom. 7:

τὸ σὸν (Vulcani) *γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας.*

Ad quam sententiam alter interpres Graecus haec dicit: *καὶ παρὰ τὸ Ὁμήρου*

αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπτατο, παύσατο δὲ φλόξ,

quo Homeri loco (I 212) nostri libri praebent:

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη καὶ φλὸξ ἐμαράνθη.

Sed illud *πυρὸς ἄνθος κτλ.* et apud Plutarchum (*de facie orb. lun.* cap. 21 p. 934 B), qui hunc Iliadis versum affert, invenimus et Lucretius vertisse videtur, cum dicit (I, 900):

donec flammai fulserunt flore coorto.

Aristarchus[1] autem is fuit, qui versum illum in eam, quam nos nunc legimus, formam redegit; qua de causa id fecerit, minime apparet, cum illud: *γελοῖον δὲ πυρὸς ἄνθος ὡς ῥόδων ἄνθος, τοῦ ποιητοῦ τὸ πῦρ δεινοποιήσαντος* ne speciem quidem argumenti prae se ferat. Itaque *πυρὸς ἄνθος κτλ.* in libris restituere non dubitarim.

Quod autem schol. putat, iam Aeschylum illud *πυρὸς ἄνθος* et in libro legisse et nostro loco imitatum esse, de hac sententia Nauckius, postquam primum[2] eam amplexus est, postea[3] multo cautius iudicavit, idque optimo iure; minime enim certum est Aeschylum paraphrasin versus illius Homerici praebere. Nam cum illud *ἄνθος* apud Aeschylum non igni, sed Vulcano attribuatur, recte dicit alter Aeschyli interpres: *ταῦτα ἐρεθίζων Ἥφαιστόν φησιν, ὡς εἰ ἔλεγεν· τὸν σὸν κόσμον*, ita ut *ἄνθος* significet: „decus atque ornamentum“, velut *Agam.* 954:

αὕτη (Cassandra) *δὲ πολλῶν χρημάτων ἐξαίρετον*
ἄνθος, στρατοῦ δώρημ', ἐμοὶ ξυνέσπετο,

vel Pindar. *Ol.* II 50: *ἄνθεα τεθρίππων δυωδεκαδρόμων*, *Nem.* VI 63: *ἄνθε' Ὀλυμπιάδος.*[4] —

---

[1] Cf. schol. A T ad I 212.

[2] *Zeitschr. f. Alt-Wiss.* 1855 p. 273.

[3] Mél. Gréco-Rom. V p. 108 sq: Dass die Lesart πυρὸς ἄνθος den ältesten Alexandrinern um einige Jahrhunderte vorausliegt, scheint hervorzugehen aus Aesch. *Prom.* 7, sofern diese Worte dem πυρὸς ἄνθος der obigen Stelle nachgebildet sind.

[4] cf. e. g. Catull. 63, 64:

ego gymnasi fui flos, ego eram decus olei.

Prom. 137 sqq:

τῆς πολυτέκνου Τηθύος ἔκγονα
τοῦ περὶ πᾶσάν θ' εἱλισσομένου
χθόν' ἀκοιμήτῳ ῥεύματι παῖδες
πατρὸς Ὠκεανοῦ.

His verbis Prometheus Oceani filias alloquitur; patri autem Oceano ab Aeschylo epitheton datum est, quod poeta sumpsisse videtur ex Homero Σ 399:

Εὐρυνόμη, θυγάτηρ ἀψορρόου Ὠκεανοῖο.

Adiectivi *ἀψόρροος* duae veterum explicationes traduntur quas bene noscas ex schol. *B* ad Σ 399: *ταχυρρόου ἐπειδὴ Ὠκεανὸς*[1] *ἢ παλιρρόου διὰ τὸ κύκλῳ περιθεῖν τὴν γῆν*[2] et schol. *B* ad υ 65: *τοῦ κύκλῳ περινοστοῦντος τὴν γῆν καὶ ἂψ πάλιν ἐπὶ τὰ αὐτὰ ἀφικνομένου. ὁποῖόν ἐστι καὶ τὸ ἂψ περιτελλομένου ἔτεος;* cf. etiam Et. gen. (Reitzenstein)[3]: *ἀψορρόου οἷον „ἀψορρόου ὠκεανοῖο“ παρὰ τὸ ἂψ*[4] *καὶ τὸν ῥόον πλεονασμῷ τοῦ ο ἢ παρὰ τὸ αἶψα ἀψορρόος. ἀμφότερα γὰρ δύναται εἶναι. οὕτως Ἡρωδιανὸς περὶ παθῶν.* — Atque Aeschylum non in numero eorum referendum esse, de quibus Eustathius p. 1883, 1 dicit: *τινὲς δὲ ἀψόρροον φασι τὸν ταχὺ ῥέοντα, ὡς οἷον αἰψόρροον*, sed alteram eamque rectam probasse interpretationem, satis apparet ex paraphrasi: *παῖδες τοῦ περὶ πᾶσαν χθόνα εἱλισσομένου.* Idem sensit Euripides qui dicit *Orest.* 1377: *Ὠκεανὸς* . . . .

---

[1] Cf. E. M. 821,18: Ὠκεανός· ἢ παρὰ ὠκέως νάειν ἢ παρὰ τὸ ὠκὺς καὶ τὸ ἀνύω, ὁ ταχέως φέρων.

[2] Cf. Hes. ἀψορρόου· ἀνάπαλιν ῥέοντος. ταχυρρόου.

[3] Omnes, quos afferam, etymologici genuini locos Reitzenstein praeceptor clarissimus, qua est benignitate, ex libro suo manu scripto mihi praebuit.

[4] Cf. Cramer, *Anec. Ox.* p. 29,13: ἄψ· ἐκ τοῦ α τοῦ σημαίνοντος τὸ ὀπίσω· τὸ γὰρ α ὁ (leg. οὐ) μόνον τὸ ὁμοῦ σημαίνει ἀλλὰ καὶ τὸ εἰς τοὐπίσω τὴν κέλευθον ἔχον, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ψ γίνεται ἄψ· καὶ ἐρύω, καὶ ἀερύω, τὸ εἰς τοὐπίσω, καὶ πλεονασμῷ τοῦ υ· αὐέρυσαν μὲν πρῶτον.

κυκλοῖ χθόνα, ubi schol.: *ὅτι δὲ κύκλῳ περιρρεῖ τὴν οἰκουμένην, ἐσήμανε τῷ ἀψορρόου Ὠκεανοῖο.* —

Cui sententiae obici licet, utrumque et Homerum et Aeschylum vulgatam illam opinionem secutum esse, quam improbat Herodot. IV, 8: *τὸν δὲ Ὠκεανὸν λόγῳ μὲν λέγουσι ἀπὸ ἡλίου ἀνατολέων ἀρξάμενον γῆν περὶ πᾶσαν ῥέειν, ἔργῳ δὲ οὐκ ἀποδείκνυσι.* Tamen affirmaverim Aeschylum nostro loco ex scripto quodam carmine hausisse; cuius rei non desunt indicia. Respicias enim versum Homeri *Σ* 399 spurium haberi; unde autem huc irrepsit? — Certo ex carmine quodam Hesiodi simili, quo describebatur, unde deorum singulorum genus deducendum esset; atque Aeschyli quoque verbis tale carmen subesse videtur; apud Hesiodum enim invenimus illud *ἀψόρροος* *Theog.* 776:

δεινὴ Στύξ, θυγάτηρ ἀψορρόου Ὠκεανοῖο

et cum: *πολυτέκνου Τηθύος ἔκγονα* conferas *Theog.* 362 sqq:

αὗται δ᾽ Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἐξεγένοντο
πρεσβύταται κοῦραι· πολλαί γε μέν εἰσι καὶ ἄλλαι.
τρὶς γὰρ χίλιαί εἰσι τανύσφυροι Ὠκεανῖναι.

Itaque si non ex ipso Homero, tamen ex genealogia quadam Hesiodeo modo confecta manaverunt illi Aeschyli versus.

Ceterum illud quod addidit Aeschylus: *ἀκοιμήτῳ ῥεύματι* falso interpretatur schol. h. l.: *γαληνώδει, πολυκοιμήτῳ, ἠρεμαίῳ, ἵνα τὸν ἀκαλαρρείτην δηλώσῃ;* illustratur potius Homerico illo *ἀκάμας*, quod Spercheo flumini *Π* 176 attributum explicatur ab Hesychio: *ἀκοπίατος, ὁ μὴ κάμνων.* [1]

Prom. 496 sqq:

κνίσῃ τε κῶλα συγκαλυπτὰ καὶ μακρὰν
ὀσφῦν πυρώσας δυστέκμαρτον ἐς τέχνην
ὥδωσα θνητούς, καὶ φλογωπὰ σήματα
ἐξωμμάτωσα, πρόσθεν ὄντ᾽ ἐπάργεμα.

[1] Cf. *Prom.* 531: παρ᾽ Ὠκεανοῦ πατρὸς ἄσβεστον πόρον.

Quae manifesto spectant ad Homeri illa verba, quibus sacrificantium ritus describi solet (*Α* 460, *Β* 423 al):

μηρούς τ᾽ ἐξέταμον κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν
δίπτυχα ποιήσαντες.

Vario modo vocabulum *κνίσῃ* a veteribus grammaticis explicatur. Porphyrius enim (schol. *B* ad *B* 423) haec dicit: *σημαίνει δὲ καὶ τὴν ἀναθυμίασιν τῶν κρεῶν, ὡς ὅταν λέγῃ „καὶ τότε με κνίσσης ἀμφήλυθεν ἡδὺς ἀϋτμή“ καὶ „κνίσση δ᾽ οὐρανὸν ἷκεν ἑλισσομένη περὶ καπνῷ.“ σημαίνει καὶ τὸ λίπος, ὡς ἐπὶ τῶν γαστέρων ἔφη „ἐμπλείην κνίσσης τε καὶ αἵματος“. σημαίνει καὶ τὸν ἐπίπλουν, ὡς ὧδε „κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν, δίπτυχα ποιήσαντες“*, cui assentitur Apoll. Soph. 101,29. Quid Aeschylus de hac re? — Loquitur apud eum Prometheus, qui primus indoctos homines, quomodo recte sacra facerent, docuisse dicitur; nonne poeta tragicus, cum hoc narravit — nec minus ii, qui fabulam spectabant vel legebant — in animo habuit notum illum Promethei dolum, quo, cum primum dis sacrificavit, Jovem fefellit, cf. Hes. *Theog.* 536 sqq:

τότ᾽ ἔπειτα μέγαν βοῦν πρόφρονι θυμῷ
δασσάμενος προέθηκε, Διὸς νόον ἐξαπαφίσκων.
τοῖς μὲν γὰρ σάρκας τε καὶ ἔγκατα πίονα δημῷ
ἐν ῥινῷ κατέθηκε καλύψας γαστρὶ βοείῃ,
τῷ δ᾽ αὖτ᾽ ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ
εὐθετίσας κατέθηκε, καλύψας ἀργέτι δημῷ? —

Quod si verum est, minime de omento cogitandum est, quo fraudem male obscurasset; immo vero vocabulum *κνίσῃ* hoc loco nihil aliud significare potest nisi adipem, quo ossa, priusquam comburerentur, involvere solebant. Quod etiam apud Eustathium 134,24 invenimus qui dicit: *τοὺς δὲ μηροὺς κνίσσῃ, τουτέστι πιμελῇ, καλύπτοντες ἔκαιον.* —

Praeterea quod schol. *B* ad *B* 423 pergit: *ἐπεὶ γὰρ δύο οἱ μηροί, τὸν ἐπίπλουν εἰς δύο διελόντες ἑκάτερον αὐτῶν θατέρῳ μέρει τοῦ ἐπίπλου ἐκάλυπτον*, haec sagacius quam verius excogitata esse puto. Rectius vero in voce *δίπτυχα* explicando iudicasse mihi videtur Eust. 134,26: *ἔκαιον δὲ δίπτυχα ποιοῦντες*

ἤγουν δίπλωμα τῇ πρὸς ἀλλήλους ἐπιθέσει τῶν μηρῶν ἢ μάλιστα διπλοῦντες ἐν αὐτοῖς τὴν κνίσσαν, i. e. ossa duabus adipis partibus immittentes; idem Aeschylus, quamvis Homerum non accurate transtulerit, sensisse videtur, cum dicit: κῶλα κνίσῃ συγκαλυπτά. —

Prom. 724:

> Ἀμαζόνων στρατὸν
> ἥξεις στυγάνορα.

Epitheton στυγάνωρ[1] Amazonibus attributum nihil aliud esse potest nisi paraphrasis Homerici Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι (*Γ* 189, *Z* 186). De cuius significatione duae veterum explicationes extant, velut apud Hesychium s. v. ἀντιάνειραι· Ἀρίσταρχος ἴσανδροι· τὸ δὲ ἐπίθετον τῶν Ἀμαζόνων. ἤτοι διότι ἀνδράσιν ἠναντιοῦντο, οὐ θέλουσαι αὐτοῖς συνευνασθῆναι.[2] Aristarchus igitur ut omnino alienorum vestigia persequi noluit, ita in hac re minime probavit communem sententiam illorum, qui putabant ἀντιάνειραι significare: „quae virorum consuetudinem abnuunt"; quorum in numero Aeschylum quoque habendum esse, ipsius paraphrasis στυγάνωρ docet.[3] Sed utrum Aristarchi sententia, quam aperuit, quod animadverterat ἀντὶ — εἶναι apud Homerum significare „pari loco esse", an Aeschyli recta sit, non magni momenti est, cum utraque interpretatio ad Homeri locum quadret. Quamquam autem nostrae aetatis viri docti Aristarchum sequi videntur, tamen apud antiquos magis in usu erat Aeschyli explicatio, quae etiam posteriorum temporum poetis epicis probabatur, velut Collutho, qui dicit *Hel. rapt.* 171 (Abel):

> Ἥρην κερτομέουσα καὶ ἀντιάνειραν Ἀθήνην. —

---

[1] Idem fere ἀστεργάνορα παρθενίαν est, quod ipsum quoque apud Aeschylum solum (*Prom.* 898) legitur.

[2] Cf. Apoll. Soph. 31,16; E. M. 111,34; cf. Lehrs l. l. p. 114.

[3] Cf. eiusdem *Suppl.* 287: καὶ τὰς ἀνάνδρους κρεοβόρους τ' Ἀμαζόνας.

Singularem quandam notionem voci ἀντιάνειρα subiecit Pindarus *Ol.* XII, 16:

> εἰ μὴ στάσις ἀντιάνειρα Κνωσίας σ' ἄμερσε πάτρας,

ubi significat: „seditio, in qua viri eiusdem gentis inter se pugnant"[1]

Sept. 536 sq:

> ὁ δ' ὠμόν, οὔτι παρθένων ἐπώνυμον
> φρόνημα, γοργὸν δ' ὄμμ' ἔχων, προσίσταται.

Homerus, cum Achivos fuga praecipiti salutem petere narrat Trojanis usque ad navium munimenta insequentibus, de Hectore his verbis loquitur (*Θ* 348 sq):

> Ἕκτωρ δ' ἀμφιπεριστρώφα καλλίτριχας ἵππους
> Γοργόος οἴματ' ἔχων ἠὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος.

Ita Nauckius; sed iam videamus, quid schol. A h. l. exhibeat: ὁ Ζηνόδοτος γράφει Γοργόνος ὄμματ' ἔχων ἠὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος, ὁ δὲ Ὅμηρος χωρὶς τοῦ ν λέγει „τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργώ" (*Λ* 36) ὡς Σαπφώ· διὸ λέγει Γοργοῦς ὡς Σαπφοῦς. Ἀρίσταρχος δὲ γράφει σὺν τῷ ι, οἴματ' ἔχων· καί φασι παρὰ τὴν οἶμον γεγενῆσθαι, τὰς ὁδοὺς καὶ τὰ ὁρμήματα. αἱ μέντοι πλείους τῶν δημωδῶν εἶχον Γοργοῦς ὄμματ' ἔχων, οἷς συλλαμβάνει καὶ τὸ ἀλλαχοῦ λεγόμενον „τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις". χαλεπὸν οὖν σαφὲς εἰπεῖν.

---

[1] Christ ad hunc locum dicit: «ἀντιάνειρα· qua vir ut cum viro manus conserat concitatur; primam enim partem nominis huius compositi non praepositionem ἀντί, ut nominis ἀντήνορος, sed adiectivum ἀντιο esse duco, cui nomini vim verbi causativi Pindarus tribuit, ut in similibus compositis μεγαλάνωρ *frg.* 109, μεγάνωρ *Ol.* I, 2, ὀρθόπολις *Ol.* II, 8." Cf. Bechtel-Fick, *Die griech. Personennamen* p. 62, qui dicit: „Die Namenformen Ἀντι-αγόρας, Ἀντι-άλκης, Ἀντί-ανδρος etc. (neben Ἀντ-αγόρας, Ἀντ-αλκίδας, Ἄντ-ανδρος), in denen man durchweg Restitution des τ annimmt, enthalten teilweise vielleicht Ἀντιο-.

Legebatur igitur *ὄμματ᾽ ἔχων* in Zenodoti libro et plerisque *τῶν δημωδῶν*, cum *οἴματ᾽ ἔχων* sit coniectura, quam Aristarchi acuto ingenio debemus; qua mutatione ut versum illum tractaret, adductus esse videtur locis velut *X* 308—311, vel potius *Φ* 251 sq:

Πηλεΐδης δ᾽ ἀπόρουσεν ὅσον τ᾽ ἐπὶ δουρὸς ἐρωή,
αἰετοῦ οἴματ᾽ ἔχων μέλανος τοῦ θηρητῆρος,

vel *Π* 752: *οἶμα λέοντος εχων.* Sed huic Aristarchi sententiae iam veterum nonnulli intercesserunt; legimus enim apud schol. *B* ad *Θ* 349: *Ἀρίσταρχος μὲν οἴματά φησιν, οἱ δὲ ἄλλοι ὄμματα· φησὶ γὰρ βλοσυρῶπις· καὶ ἀπὸ τῶν ὀμμάτων δὲ εἴωθε καὶ τοῦ προσώπου χαρακτηρίζειν, ὡς τὸ „κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων“* (*Α* 225). Id profecto nemo negabit, nullum in Homeri carminibus inveniri locum, quo sermo fit de impetu quodam Gorgonis irruentis; de oculorum atrocitate contra legimus *Λ* 36:

τῇ δ᾽ ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
δεινὸν δερκομένη.

Praeterea illud *ὄμματ᾽ ἔχων* non Zenodoti coniecturam, sed priscam librorum speciem continere videtur. Nam Aeschylum nostro loco *Sept.* 520, quo Parthenopaeum adulescentem inducit, qui Thebanorum oppido ruinam minatur *„γοργὸν*[1] *ὄμμ᾽ ἔχων“*, Homeri locum *Θ* 348 sq imitatum esse, neque *Γοργόνος οἴματ᾽ ἔχων*, sed potius *ὄμματ᾽ ἔχων* ibi legisse contendo.[2] Aeschylus autem si revera illam Homeri sententiam secutus est, testis scripturae: *ὄμματ᾽ ἔχων* nobis extat dignus, quem audiamus, cum tribus fere saeculis Aristarchum superet, dignus etiam, quem in lectione constituenda sequamur.

Confirmatur autem mea sententia locis *Prom.* 536: *ἐξ ὀμμάτων δ᾽ ἤστραπτε γοργωπὸν σέλας*, Euripidis *Phoen.* 146:

[1] Vocabula Γοργώ et γοργός, quod ante Aeschylum non invenitur, ex eadem radice orta sunt; cf. L. Meyer, *Griech. Etym.* III p. 45.

[2] De eiusdem Hectoris oculis cf. Eurip. *Rhes.* 8: λῦσον βλεφάρων γοργωπὸν ἕδραν.

ὄμμασι γοργὸς εἰσιδεῖν atque *Her. fur.* 990: *ἀγριωπὸν ὄμμα Γοργόνος στρέφων*, quod Homeri verbis simillimum esse videtur.

Suppl. 881:

βαίνειν κελεύω βᾶριν εἰς ἀμφίστροφον[1]
ὅσον τάχιστα· μηδέ τις σχολαζέτω.

Schol. vet. h. l. haec praebet: *τὴν ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν ἑλισσομένην, ὅ ἐστιν ἀμφιέλισσαν.* Aeschylus igitur Homericum illud *ἀμφιέλισσα* accurate transtulit, verbo *στρέφω* pro *ἑλίσσω* posito. Ex quo apparet ipsum minime de navi quadam et a prora et a puppi curvata cogitasse, quod omnes fere recentiores facere solent; *στρέφω* enim nusquam significat „krümmen, biegen“. Immo Aeschylus aliam explicandi rationem sequitur, quam optime traditam invenias apud Apoll. Soph. 26,1: *ἀμφιελίσσας· ἐπιθετικῶς τὰς ἐξ ἑκατέρου μέρους ἐλαυνομένας ναῦς· ἑλιγμῷ γάρ τι παραπλήσιον ποιοῦσιν οἱ ἐλαύνοντες*, itemque schol. ad *ζ* 264: *ἀμφοτέρωθεν στρεφόμεναι ὑπὸ κωπῶν.*

Quam interpretationem illis temporibus usitatam fuisse, etiam e Sophoclis verbis cognoscas *Ai.* 357: *ἅλιον ὃς ἐπέβας ἑλίσσων*[2] *πλάταν*, qui locus Aeschyli sententia optime illustratur. Neque Euripides aliter sensisse videtur; conferas enim *Cycl.* 14:

ἐν πρύμνῃ δ᾽ ἄκρᾳ
αὐτὸς λαβὼν εὔθυνον ἀμφῆρες δόρυ,

ubi omnes fere interpretes inter se consentiunt, *δόρυ* vocabulum „navem“ significare; nam „ne quis cum Heathio, cui assensus est Matthiae, contum esse putet, prohibet adiectivum *ἀμφῆρες*“.[3] Quod si recte iudicatum est, nemo negaverit ver-

[1] ἀμφίστροφον Porson ex schol. et Etym. Gud. 104,42; ἀντίστροφον M.

[2] ἐρέσσων Blaydes, quod minime opus erat.

[3] Cf. G. Hermann ad h. l.

bis ἀμφῆρες δόρυ paraphrasin vocis ἀμφιέλισσα inesse; neque dubitare licebit, qua ratione Euripides glossam illam interpretatus sit, cum adiectivum ἀμφῆρες et a veteribus velut Hesychio explicetur: ἀμφήρεις· νῆες ἀμφοτέρωθεν ὁρώμεναι (l. ὁρμώμεναι cum editione Hagenoensi) ἢ ἐρεσσόμεναι, et nobis ab ἐρέσσω sumptum esse videatur, cum Wackernagel [1] de adiectivis κατήρης, ἀντήρης, διήρης similia statuerit.

Frg. 74:

ὀρθοκέρως βοῦς ἤλασ᾽ ἀπ᾽ ἐσχάτων γαίας.

Haud scio an nemo dubitet, quin Aeschylus hoc loco Homericum illud βοῶν ὀρθοκραιράων [2] (Θ 231, Σ 573, μ 348 al) verterit. Adiectivum autem ὀρθόκραιρος, quod apud Homerum ceteris locis tribuitur bubus ac duobus Iliadis Σ 3, Τ 344 cum levi quadam immutatione proris et puppibus prominentibus, veteres sic interpretantur: ὀρθοκραιράων· τῶν τὰς κεφαλὰς ὀρθὰς ἐχουσῶν. κραῖραν γὰρ λέγουσι τὴν κεφαλήν . . . σημαίνει δὲ καὶ τῶν ἐχόντων ὀρθὰ κέρατα; [3] similia exhibet Apoll. Soph. qui de vocis origine dicit (122,34): ἐσχημάτισται δὲ ἀπὸ τοῦ κάρα. τούτοις δὲ ἀντίκειται βοῶν ὀρθοκεράτων. Itaque iam Alexandrinorum temporibus grammatici inter se dissentiebant, quodnam etymon illi vocabulo subicerent. Quae dissensio nostra aetate dirempta est ab Joh. Schmidt,[4] qui affirmavit argumentisque probavit, vocem κραῖρα hoc loco τὸ κέρας denotare. Eandem vero sententiam viros doctos quinti ante Chr. natum saeculi iam secutos esse facile intellegas ex Aeschyli paraphrasi ὀρθοκέρως βοῦς.

---

¹ Wackernagel, *Dehnungsgesetz der griech. Composita* p. 41.

² Cf. Schulze, *quaest epic.* p. 35².

³ Cf. E.M. 631,7, sim. schol. A ad Σ 3, Hes. al.

⁴ *Pluralbild. der indogerm. Neutra* p. 363 sq.

SOPHOCLES.

Ai. 296:

ἔσω δ᾽ ἐσῆλθε συνδέτους ἄγων ὁμοῦ
ταύρους, κύνας βοτῆρας εὔερόν τ᾽ ἄγραν.
καὶ τοὺς μὲν ηὐχένιζε, τοὺς δ᾽ ἄνω τρέπων
ἔσφαζε κἀρράχιζε.

Ad Homeri Α 459:

αὐέρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν [1] *καὶ ἔδειραν*

schol. Α haec praebet: εἰς τοὐπίσσω ἀνέκλων τὸν τράχηλον τοῦ θυομένου ἱερείου, ὡς προσέχειν εἰς οὐρανὸν τοῖς θεοῖς οἷς καὶ ἐθύοντο, ὡς καὶ αὐτῶν ὄντων ἐν οὐρανῷ, similiter Aristonicus ad Β 422: ὅτι τὸ αὖ ἔρυσαν ἀντὶ τοῦ εἰς τοὐπίσσω [2] ἀνέκλασαν, ὃ ποιοῦσιν οἱ σφάζοντες.[3] — Recte igitur — quoad ad rem — illum sacrificantium ritum intellexerunt grammatici neque aliter Sophocles interpretatus est, cuius animo illud Homericum αὐερύειν obversatum est. Dubitanti autem, an revera his verbis insit paraphrasis Homerica, testes auctoresque erunt et schol. ad *Ai.* 298: ὅπερ Ὅμηρος αὐερύειν φησὶν ὥστε κατὰ λαιμοῦ γίνεσθαι τὴν σφαγήν et Eust. 134,17: (ad Α 459) εἰ μὲν τοῖς ἄνω ἔθυον, ἀνακλᾶν τὸν τοῦ ἱερείου τράχηλον, ὥστε ἀφορᾶν ὡς εἰς οὐρανὸν . . . . . . ὅ δή ἑρμηνεύειν δοκεῖ Σοφοκλῆς ἐν τῷ „ἄνω

---

¹ Cf. Schulze, *quaest. epic.* p. 56, qui totum hunc locum tractavit.

² Cf. Cramer, *Anec. Ox.* I p. 29,13 (cf. supra p. 21⁴).

³ Verbum αὐερύειν recurrit et alibi et Θ 323 sqq:

ἤ τοι ὁ μὲν φαρέτρης ἐξείλετο πικρὸν οἰστόν,
θῆκε δ᾽ ἐπὶ νευρῇ· τὸν δ᾽ αὖ κορυθαίολος Ἕκτωρ
αὐερύοντα παρ᾽ ὦμον . . . . . βάλεν λίθῳ ὀκριόεντι,

ex quo uno loco, quid verbi αὐερύειν pars prior sibi velit, melius elucet quam Α 459; sermo enim est de „Teucro arcus nervum, cui sagitta iam imposita erat, r e t r o trahente et umero propius admovente.“

τρέπων ἔσφαξεν“. In explicanda forma erant grammatici qui errarent; nam quod idem Eustathius eodem loco dicit: *καὶ ἐλέγετο τοῦτο αὖ ἐρύειν ἐν παραθέσει δύο λέξεων ἢ αὐερύειν ἐν συνθέσει κατὰ ὑφέν*, illud verisimile esse non videtur, cum *αὖ* minime nota illa particula habenda sit, cui Graeci potestatem localem semper denegarunt; quod dilucide apparet ex Θ 323; nam „haud facile credas Homerum *αὖ* primo (Θ 324) usitata notione, deinde duobus tantum vocabulis interiectis in eiusdem enuntiati comprehensione a fixa Graecorum et sua ipsius consuetudine recedentem ad motum localem signandum adhibuisse“ (Schulze l. l.).

Ai. 489:

νῦν δ' εἰμὶ δούλη· θεοῖς γὰρ ὧδ' ἔδοξέ που
καὶ σῇ μάλιστα χειρί· τοιγὰρ οὖν, ἐπεὶ
τὸ σὸν λέχος ξυνῆλθον, εὖ φρονῶ τὰ σά.

Cum versu 491 iam G. Hermannus comparavit illud Homeri *A* 31, quod multa in disceptatione versabatur:

ἱστὸν ἐποιχομένην καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

Huius enim sententiae et antiqui et recentiores grammatici multas ac diversas explicationes dederunt. Inter quas conferas scholiastae *A* ad *A* 31: *τῆς ἐμῆς κοίτης μεταλαμβάνουσαν*, qui non consideravit verbum *ἀντιάω* non nisi cum genetivo coniunctum *μεταλαμβάνειν* significare, quod *E.M.* 113,52 recte animadvertit: *ὅτε γὰρ δηλοῖ τὸ ἀντιλαμβάνειν, αἰτιατικῇ συντάσσεται· ὡς τὸ „ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν“, συγκυροῦσαν. ὅτε δὲ τὸ μετέχων τυγχάνων ὑπαντῶν, γενικῇ ὡς „τὸ ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης.“*

Illud *ἀντιλαμβάνειν* autem quid sibi velit, explicare videtur Apoll. Soph. 34,17: *παραγινομένη εἰς τὴν κοίτην, ἀπὸ τοῦ παρακολουθοῦντος*, ut sit „meum lectum vicissim nanciscens“. Quam interpretationem argutiorem quam veriorem esse apparet; quis enim intellegi potest, cuius rei loco (*ἀντὶ τοῦ*) illa lectum Agamemnonis nancisci debeat? — Alia interpretatio extat apud

Eust. 30,28: *ὅπερ ταὐτὸν εἶναι δοκεῖ τῷ λέχος πορσαίνουσαν ἢ πορσύνουσαν*,[1] qui paraphrasin quandam praebet, non veram vocis originem. Inter recentiores Doederlein *Gloss.* 713 *ἐποιχομένην* et ad *ἱστόν* et ad *λέχος* referendum esse putat, ad *ἀντιόωσαν* autem *ἐμοί* supplet. Quam sententiam Ameis, qui primus eam aperuerat, ipse postea abiecit iisque assensus est viris (Hermann LaRoche), qui *ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν* interpretandum esse censuerunt: „accedere ad lectum“; quam interpretationem, quamvis singularis sit illa verba coniungendi ratio, tamen solam rectam esse persuasum habeo, praesertim cum iam Sophocles *Ai.* 491 verbis: *τὸ σὸν λέχος ξυνῆλθον*, quibus illud Homeri vertitur, eandem probasse videatur.

Ai. 985:

Achillem Patrocli mortem vehementer deplorantem facit Homerus Σ 318 sqq:

πυκνὰ μάλα στενάχων ὥς τε λὶς ἠυγένειος
ᾧ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἁρπάσῃ ἀνὴρ
ὕλης ἐκ πυκινῆς· ὁ δέ τ' ἄχνυται ὕστερος ἐλθών.

Varias ac diversas vocis *ἠυγένειος* interpretationes tradit Hesychius s. v. *ἠυγένειος· μέγα τὸ γένειον ἔχων ἢ εὔτονος· ἢ εὔγονος ἢ εὐγενής· ἢ καλογένειος*; aliam aliunde non cognitam legimus in Iliadis paraphrasi Graeca: *δασὺ γένειον ἔχων.* Permirum autem mihi videtur illud quod schol. *A* ad Σ 318

---

[1] Reitzenstein me monuit Catulli auctorem Alexandrinum eandem interpretationem amplexum esse, qui dicit c. 64, 160:

At tamen in vostras potuisti ducere sedes,
Quae tibi iocundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis
Purpureave tuum consternens veste cubile.

Cf. etiam Eurip. *Andromed. frg.* 132:

ἄγου δέ μ', ὦ ξεῖν', εἴτε πρόσπολον θέλεις
εἴτ' ἄλοχον εἴτε δμωίδ'. . . . .

exhibet: *ὥς τε λὶς ἠυγένειος· ἐμπείρως πάνυ· αἳ γὰρ θήλειαι κάλλιστον ἔχουσι γένειον· οἱ δὲ ἄρσενες χαίτην. νῦν δ' ἐπὶ θηλείας· ἄρσην γὰρ οὐ σκυμναγωγεῖ. τὸ δὲ λέαινα νεώτερον ὄνομα*, ubi epitheton *ἠυγένειος* non leonis sed potius leaenae esse putatur neque significare „pulchra barba" sed „mento imberbi atque ob id ipsum pulchro praeditus"; hinc igitur etiam Hesychii illud *καλογένειος* explicatur atque illustratur. —

Quaenam autem illarum sententiarum vera sit, certo diiudicare nequeo; tamen maxime mihi arridet illa, quae *ἠυγένειος* idem esse dicit atque *δασὺ γένειον ἔχων*. Quamquam enim *γένειον* apud Homerum de mento tantum dicitur, tamen nemo negabit, vocis significationem facile ita transferri, ut *γένειον* „barba" sit, quod optime intellegas ex *X* 74 sq:

ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον
αἰδόα τ' αἰσχύνωσι κύνες κταμένοιο γέροντος.

Quam translationem iam antiquissimis temporibus revera factam esse discas ex hymn. Hom. XIX, 39, ubi *ἠυγένειος* Panis est epitheton:

δεῖσε γάρ, ὡς ἴδεν ὄψιν ἀμείλιχον, ἠυγένειον.

Eodem sensu apud posteros quoque vocabulum invenitur, velut Clem. Alex. *paed.* III, 9 § 60: *ἀπόχρη γὰρ ἠυγένειον τοῖς ἀνδράσιν.* —

Locum autem illum Homeri initio commemoratum (*Σ* 318 sq) Sophocles *Ai.* 985 sqq imitatus est: Teucer Tecmessae vitio dat, quod illa Eurysacen filiolum in tentorio reliquerit Aiacem investigatura, eumque celeriter adduci iubet:

οὐχ ὅσον τάχος
δῆτ' αὐτὸν ἄξεις δεῦρο, μή τις ὡς κενῆς
σκύμνον λεαίνης δυσμενῶν ἀναρπάσῃ;

Singula etiam verba cum aperte cum Homericis congruant, nemini dubium esse potest, quin Sophocles hanc sententiam e *Σ* 318 deprompserit. Noveratne Sophocles illam, quam schol. *A* h. l. praebet, interpretationem vocis *ἠυγένειος* supra exscriptam, cum ipse pro *λὶς ἠυγένειος* dicat *λέαινα*? —

Atque profecto viri docti illius aetatis ita sensisse videntur; legimus enim apud Hesychium s. v. *ἠριγένεια· παρ' Αἰσχύλῳ* (frg. 426) *ἡ λέαινα ἠριγένεια, ἢ ἡ ἐν τῷ ἀέρι τίκτουσα ἢ ἡ ἐν τῷ ἔαρι.* Quarum interpretationum altera absurda est,[1] altera falsa; vocem enim *ἠρι-γένεια* non „vere pariens" sed „vere nata" (*γίγνεσθαι*) explicari debebat. Sed ipsam vocem *ἠριγένεια* pro *ἠυγένεια* positam esse M. Schmidt coniecit; quo probato apparet, Aeschylum quoque epitheton illud leaenae tribuisse; quod si fecit, necessario *ἠυγένειος* interpretatus est „pulchro mento", non „pulchra barba praeditus".

Pauca addam de illo Sophoclis loco *Ai.* 985; nam quomodo *κενῆς* adiectivum explicandum sit, viri docti valde dissentiunt. Dicit enim schol. h. l.: *κεκενωμένης, ἐστερημένης τοῦ συζύγου*, quod significat „vidua" et ad Tecmessam revocandum est. Quam interpretationem male defendunt Lobeckius et Hermannus, contra Schneidewinus nimio apparatu evertere studet. Ipsa enim sententia scholiastae ultro corruet, ubi primum intellexeris, adiectivum *κενή* cum imagine illa artissime cohaerere eoque ex Homero ortum esse, ubi de leaena orbata vel vidua nullus fit sermo. Itaque aut Nauckium sequi oportet explicantem: „mit *κενῆς* wird der Erfolg des *ἀναρπάσαι* vorweggenommen"[2] aut putare, illud adiectivum ex sententiis velut: *ὢν φρενῶν αὐτὸς κενός* (*Antig.* 757 al.) a Sophocle ita mutatum esse, ut „segregatus" significet,[3] quod ad illam Homeri imaginem aptissime convenire nemo negaverit. —

Ai. 1165 sqq:

σπεῦσον κοίλην κάπετόν τιν' ἰδεῖν
τῷδ', ἔνθα βροτοῖς τὸν ἀείμνηστον
τάφον εὐρώεντα καθέξει.

---

[1] Aliter res se habet, si hac interpretatione ad Ἠὼς ἠριγένεια vocem explicandam uteris, ubi a veritate non aliena esse videtur.

[2] Cf. *Ai.* 69: ἐγὼ γὰρ ὀμμάτων ἀποστρόφους αὐγὰς ἀπείρξω et *Antig.* 424: (ὄρνις) ὅταν κενῆς εὐνῆς νεοσσῶν ὀρφανὸν βλέψῃ λέχος.

[3] Cf. Ellendt, *lex. Soph.* s. v.

In numero glossarum interpretatu difficillimarum *εὐρώεις* adiectivum optimo iure refertur, quod apud Homerum et Hesiodum semper Orco attribuitur. Veterum autem grammaticorum alii *εὐρώεις* ductum esse putant a *τὸ εὖρος*, alii ab *ὁ εὐρώς*, velut Eust. 1196,18: *ἢ τὰ πλατέα παρὰ τὸ εὖρος ἢ τὰ σεσηπότα παρὰ τὸν εὐρῶτα.* Sed etiam tertia huius vocabuli explicatio extat, quae hic illic occurrit, velut apud Suidam s. v. *εὐρώεντα· σκοτεινά, ζοφώδη*; quae a veritate non multum abesse videtur. Legitur enim *εὐρώεις* Hom. *hym. Cer.* 482: *ζόφῳ εὐρώεντι* ac praecipue coniunctum cum iis verbis, quibus poeta adiectivum *ἠερόεις* attribuere solet, velut *O* 191: *Ἀίδης δὲ λάχε ζόφον ἠερόεντα*, *υ* 64: *κατ' ἠερόεντα κέλευθα.* Itaque non est quod miremur, quod Doederlein *Gloss.* 7 ratus est, adiectiva *ἠερόεις* et *εὐρώεις* ab eadem radice profecta postea demum diversam speciem induisse; Nauckius denique similibus certe rationibus adductus est, ut *εὐρώεις* adiectivum iam antiquissimis temporibus vitio quodam pro *ἠερόεις* in libros irrepsisse arbitraretur.[1]

Sed ut redeam ad duas interpretationes illas ab Eustathio proditas, utramque nostrae aetatis viri docti tueri conati sunt, quae dissensio denuo orta est in Sophoclis versibus *Ai.* 1165 sq quos supra exscripsimus, tractandis. Atque primum quidem Hermannus de voce *εὐρώεις* dicit: „Miras huius vocabuli interpretationes peperit derivatio ab *εὐρώς*. Ab *εὐρύς* poetica terminatione factum *εὐρώεις* significationem induit vocis consentaneam, ut non simpliciter latum, sed vastum notaret.“ Quae Hermanni sententia minime probatur Bodenheimerio,[2] qui confidenter affirmat, *εὐρώεις* adiectivum ab *εὐρώς* ducendum esse, ut „putridi“ notionem habeat, quam derivationem etiam Sophoclem, quippe qui dicat *τάφον εὐρώεντα*, non solum novisse, sed agnovisse. Quamquam autem assentior Bodenheimerio impugnanti Schneidewinum, qui putat nostro loco Orcum, domicilium

---

[1] Cf. W. Schulze, *quaest. epic.* p. 475,3: „Traditio substituit pleniori ἠερόεις (> ἠρόεις Hes.) formam curtatam εὐρόεις (< * ἠύρ-όεις cf. αὖρα), cuius significatio ab illo nihil discrepat“.

[2] l. l. p. 52.

Aiacis apud inferos, indicatum esse,[1] quod ne probemus, impedit sententiarum conexus, tamen negaverim Sophoclem adiectivo *εὐρώεις* putridi notionem subiecisse. Quis enim putet tam ineptum fuisse poetam, ut quasi uno tenore Aiacis sepulcro et immortalitatem praedixerit et epitheton putridi attribuerit? — Immo vero pro certo habeo Sophoclem *εὐρώεις* ab *εὐρύς* duxisse; respexit enim haud dubie Homeri *Ψ* 245 sqq:

τύμβον δ' οὐ μάλα πολλὸν ἐγὼ πονέεσθαι ἄνωγα,
ἀλλ' ἐπιεικέα τοῖον· ἔπειτα δὲ καὶ τὸν Ἀχαιοὶ
εὐρύν θ' ὑψηλόν τε τιθήμεναι. . . . —

Quod nonnulli *τόν* articulum, ut ab interpolatore additum, delendum esse censuerunt scribendumque: *βροτοῖς ἀείμνηστον* vel *βροτοῖσιν ἀείμνηστον*,[2] minime mihi probatur; talia enim non sunt interpolatoris. Immo vero chorus temporis rationem neglegens indicat illud Aiacis sepulcrum omnibus notum, de quo Strabo XIII p. 595: *εἶτα Ῥοίτειον πόλις ἐπὶ λόφῳ κειμένη καὶ τῷ Ῥοιτείῳ συνεχὴς ἠὼν ἀλιτενής, ἐφ' ᾗ μνῆμα καὶ ἱερὸν Αἴαντος.*[3]

Denique ut unius vocis *εὐρώεις* sententiam eam, quam Sophocles amplexus erat, ex Homero repetere licuit, ita ad totam tragici poetae sententiam illustrandam utile videtur versus *ω* 80 sqq conferre:

ἀμφ' αὐτοῖσι δ' ἔπειτα μέγαν καὶ ἀμύμονα τύμβον
χεύαμεν Ἀργείων ἱερὸς στρατὸς αἰχμητάων
ἀκτῇ ἐπὶ προεχούσῃ, ἐπὶ πλατεῖ Ἑλλησπόντῳ,
ὥς κεν τηλεφανὴς ἐκ ποντόφιν ἀνδράσιν εἴη
τοῖσ' οἳ νῦν γεγάασι καὶ οἳ μετόπισθεν ἔσονται.

---

[1] „wobei mehr an Aias' Aufenthalt im Tartaros (Ἀίδεω δόμος εὐρώεις) als im τάφος gedacht wird“.

[2] Tournier, *Revue de phil.* VI p. 118, probante Nauckio *Herm.* XXIV p. 448.

[3] Nauckius l. l. qui putat „monstrosum illud εὐρώεις Sophocli imputari non posse“, coniecit secundum Strabonem τάφον ἡρῷόν τε; sed ἡρῷον vox a poetica lingua alienissima est.

Ai. 1187 sqq:

τὰν ἀπαύσταν αἰὲν ἐμοὶ δορυσσοήτων
μόχθων ἄταν ἐπάγων
ἀνὰ τὰν εὐρώδη Τροίαν[1]
δύστανον ὄνειδος Ἑλλάνων;

Adiectivum *εὐρώδης* schol. h. l. explicat: *σκοτεινὴν καὶ ἀερώδη τοῖς Ἕλλησιν· ἢ σεσηπυῖαν, ἔνθα ἐχρονίσαμεν.* Ex quo intellegitur adiectivum *εὐρώδης* iam ab antiquis grammaticis cum *εὐρώεις,* de quo modo diximus, collatum eademque ratione explicatum esse. Easdem enim interpretationes invenimus, quarum altera adiectivum *εὐρώδης* idem esse ac *ἠερόεις* (nebulosus), altera ab *εὐρώς* (putridus) ductum esse censet. Attamen neutra hoc loco defendi potest, neque recte disputasse mihi videtur Ahrens *Philol.* VI (1851) p. 7, qui scholiastae h. l. assentitur explicanti *σκοτεινὴν καὶ ἀερώδη*: ut enim *εὐρώεις* nihil aliud nisi *ἠερόεις,* ita *εὐρώδης* idem esse atque Homericum illud *ἠεροειδής,* quod a veteribus interpretetur: *σκοτεινός, ζοφώδης ἀερώδης.* — Immo cum verisimillimum sit, Sophoclem Homerum secutum esse, qui saepissime Troiae urbi epitheton *εὐρύς* attribuit (*Τροίῃ ἐν εὐρείῃ Ω* 256 al.),[2] Lobeckio (ad h. l.) assentiar qui *εὐρώδης* poetica libertate ex *εὐρύς* procusum esse arbitratur, velut *βραχώδης, τραχώδης.*[3]

---

[1] Versus multis coniecturis vexatus, de quibus cf. Jebb ad *Ai.* 1190 append.

[2] Similia exhibet Bacchyl. XIV 40: ἔνθα κάρυκες δι' εὐρεῖαν πόλιν ὀρνύμενοι Τρώων ἀόλλιζον φάλαγγας; de Athenis dicitur Bacchyl. IX 17: εὐρείαις Ἀθάναις; ceterum cf. Pindaricum εὐρύχορος alia.

[3] De adiectivis huius generis ducendis cf. Wackernagel, *Dehnungsgesetz der griech. Compos.* p. 47, qui dicit: „Bei Sophocles beginnen die Ableitungen aus Adjectiven, welche meist eine Annäherung an den Eigenschaftsbegriff des Grundwortes ausdrücken, manchmal aber mit ihm völlig synonym sind, wie gleich das älteste Beispiel, das aus εὐρύς erweiterte εὐρώδης im *Ai.* 1190."

Ai. 1346:

σὺ ταῦτ', Ὀδυσσεῦ, τοῦδ' ὑπερμαχεῖς ἐμοί;

Verbo *ὑπερμαχέω* rarius usi sunt tragici poetae, cum praeter Sophoclem uno tantum Euripidis loco inveniatur (cf. infra ad[1]); eodem autem sensu Sophocles verbum *ὑπερμάχομαι* posuit *O. R.* 258:

ἐγὼ τοῦδ', ὡσπερεὶ τοὐμοῦ πατρός,
ὑπερμαχοῦμαι.

Quibus verbis quamquam tralate poeta usus est, tamen quae propria eorum significatio sit, facile cognoscitur. Est enim *ὑπερμαχεῖν* nihil aliud nisi „corpus viri iacentis ab hostibus ingredientibus defendere", quae significatio optime quadrat ad nostrum locum *Ai.* 1346, ubi agitur de Aiacis corpore, quod Ulixes ab Agamemnonis manibus tuetur. Praeterea invenies illud *ὑπερμαχεῖν Antig.* 194:

Ἐτεοκλέα μέν, ὃς πόλεως ὑπερμαχῶν,[1]

ubi proprie dictum est de urbe Thebanorum ab Eteocle contra hostes defensa.

Quo verbo *ὑπερμαχεῖν,* quod de urbe tuenda atque de corpore mortui defendendo dicitur, Sophocles verbum Homericum *ἀμφιβαίνειν* interpretatus esse videtur. Quod facile mihi concedas, si cum *E* 297 sqq:

Αἰνείας δ' ἀπόρουσε σὺν ἀσπίδι δουρί τε μακρῷ
δείσας, μή πώς οἱ ἐρυσαίατο νεκρὸν Ἀχαιοί·
ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖνε λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθώς

comparaveris Apoll. Soph. 27, 25 s. v. *ἀμφίβασις· καὶ περὶ Μενελάου ὑπερμαχοῦντος τοῦ σώματος Πατρόκλου „ἀμφὶ δ'*

---

[1] Cf. Euripidis *Phoen.* 1252: Ἐτεοκλέα δ' αὖ· νῦν πόλεως ὑπερμαχεῖς, qui versus e Sophocle ad verbum fere depromptus est.

ἄρ' αὐτῷ βαῖν' ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ" (P 4); de urbe tuenda dicitur A 37:

κλῦθί μευ, ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,

ubi Aristonicus: *ὅτι κατὰ μεταφορὰν ἐκ τῶν τετραπόδων ὑπερμαχεῖς*, neque aliter Apoll. Soph. 27, 22: *περιβέβηκας· καταστρέφει δ' εἰς τὸ ὑπερμαχεῖς.* Eandem igitur interpretationem iam Sophoclem novisse apparet.[1]

Verbum *ἀμφιβαίνειν* alia significatione positum invenimus Θ 68:

ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει,

quo loco schol. B: *γινώσκει καὶ μεσουράνημα, ὃ καὶ νῦν δηλοῖ· ἔστι δὲ τὸ ἴσον ἀπόστημα ἀνατολῆς τε καὶ δύσεως;* inepte tamen pergit: *δείκνυσι δὲ διὰ τοῦ ἀμφιβεβήκει ὅτι μείζων ὁ ἥλιος τοῦ οὐρανοῦ· τὸ γὰρ ἀμφιβῆναι μείζονός ἐστι περὶ ἔλαττον, ὡς λέοντες μὲν σκύμνοις περιβαίνουσι, κύνες δὲ σκύλαξιν.* Qua in scholiastae sententia frustra requiras aptam versus Θ 68 interpretationem; frustra etiam Sophoclem consulas, qui huius loci paraphrasin praebere videtur *Antig.* 415:

χρόνον τάδ' ἦν τοσοῦτον, ἔστ' ἐν αἰθέρι
μέσῳ κατέστη λαμπρὸς ἡλίου κύκλος.[2]

Quamquam certis argumentis probari non potest, Sophoclem hoc loco Homeri sententiam transferre voluisse, cum ipsius verba cum Homeri non evidenter congruant; fieri enim potest, ut tragicus poeta communem usitatamque meridiani temporis notandi rationem secutus sit; praeterea etiamsi Homeri verba respexit, summatim tantum imitatus est, ita ut ex ipsius imitatione nihil certi colligi possit.

---

[1] Aeschylus verbis Homeri minime mutatis usus est *Sept.* 174: ἰὼ φίλοι δαίμονες λυτήριοί [τ'] ἀμφιβάντες πόλιν.

[2] quod iam Eustathius putabat, qui dicit ad Θ 68: ἠέλ. μέσ. οὐρ. ἀμφιβ. ὃ παραφράζων ὁ Σοφοκλῆς φησιν κτλ.

Antig. 586 sqq:

ὅμοιον ὥστε ποντίαις[1]
οἶδμα δυσπνόοις ὅταν
Θρῄσσαισιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς,
κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν
θῖνα, καὶ δυσάνεμοι
στόνῳ βρέμουσιν ἀντιπλῆγες ἀκταί.

In medio relinquamus illud *ποντίαις*, quod ut sanaret nemini adhuc contigit; iam restat ut diiudicemus, quomodo ea quae sequuntur recte coniungantur. Atque Jebb scholiastam secutus explicat: „when a surge (*οἶδμα*) driven by stormy seawinds from Thrace rushes over the dark depths of the sea"; cui assentiri nequeo. Quid enim aliud esse potest illud *ἔρεβος ὕφαλον* quam „niger quidam color subter maris aequor labens"? — Praeterea putasne, de eadem unda (*οἶδμα*), quae modo summam aquam transiluit, simul dici: *κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν θῖνα?* — Immo sententiam illam *δυσπνόοις ὅταν — ἐπιδράμῃ πνοαῖς* separandam ab iis quae praecedunt, illustrandamque esse censeo Homeri locis velut *υ* 357:

ἠέλιος δὲ
οὐρανοῦ ἐξαπόλωλε, κακὴ δ' ἐπιδέδρομεν ἀχλύς

et *ζ* 45:

ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Sententia autem ita circumscripta conferas velim Homericum *H* 63:

οἵη δὲ Ζεφύροιο ἐχεύατο πόντον ἔπι φρὶξ
ὀρνυμένοιο νέον, μελάνει δέ τε πόντος[2] *ὑπ' αὐτῆς,*[3]
τοῖοι ἄρα στίχες εἵατ' Ἀχαιῶν τε Τρώων τε
ἐν πεδίῳ. —

---

[1] ποντίας ἁλὸς οἶδμα L[1], ποντίαις L[2], πόντιον Schneidewinus.

[2] πόντον al. ut Aristarchus.

[3] αὐτῇ al. ut Aristarchus, αὐτοῦ Vindob.

De voce *φρίξ* magnopere inter se dissidebant antiqui grammatici, quorum singulas explicationes notabo:[1] schol. *AD* ad *H* 63: *φρὶξ δὲ ἡ ἐξ ἐπιπολῆς κίνησις τοῦ κύματος ἀρχομένου, ἢ τὸ ἐπιπολάζον τῷ κύματι ἀφρῶδες, ὅταν ἄνεμος ἄρχηται πνεῖν· βέλτιον δὲ τὴν πρώτην ἔγερσιν τῶν κυμάτων ἀκούειν*, schol. *A* ad *Φ* 126 *ἡ διπλῆ πρὸς τὸ σημαινόμενον* . . . ., *ὁ δὲ ποιητὴς οὐδέποτε φρίκην τὸ ψῦχος εἴρηκεν, ἀλλὰ τὸ ἐκ γαλήνης πρῶτον ἐξορθούμενον κῦμα*,[2] *ὁμωνύμως δὲ τούτῳ καὶ τὸν ἄνεμον τὸν οἱονεὶ ἐπιστίζοντα τὴν θάλασσαν.* Aristarchus igitur is fuisse videtur, qui illam, quae nunc nobis probatur, interpretationem statuit: „aequoris primum vento exhorrescentis agitatio."

Similem eiusdem Aristarchi explicationem exhibet schol. ad Pind. *Isthm.* VI 40 (*οἰνοδόκον φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν*): *Ἀρίσταρχος ἐκ μεταφορᾶς τῶν κάπρων φησὶν εἰρῆσθαι· Φρίξας εὖ λοφιήν* (*τ* 446)· *ὡς [ἐξοχὰς ἐχούσης* ins. Abel, *κεχρισωμένης* Wilam.*] τῆς φιάλης καὶ τετραχυμένης τῇ ποικιλίᾳ τοῦ χρυσοῦ, καθαπερεὶ πεφρικότα κάπρον. ἵν' ᾖ ὅμοιον τῷ· ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσι* (*N* 339). *διὰ γὰρ τὰς ἀκμὰς τῶν δοράτων φρῖξαι φησὶ τὴν μάχην. ἔνιοι δὲ τὴν λαμπρὰν ἤκουσαν.* Ex quo apparet Aristarchum putasse verbum *φρίσσειν* non solum motum significare, sed etiam „asperitatem corporis cuiusdam commoti velut pelagi ventis quassati,"[3] tum omnem corporis asperitatem.

Sed multas easque falsas explicationes ante illum extitisse, vidimus ex iis quae modo protulimus. Praeter quas unam etiam commemoratione dignam iudico, quam praebet schol. *EH* ad *δ* 402: *φρίκην λέγουσι τὴν ἐπιγενομένην μελανίαν τῷ ὕδατι ἐν τῇ ἐπιπολαίῳ κινήσει τοῦ ὕδατος κατὰ τὰς ἀρχὰς τῶν ἀνέμων τοῦ πνεῖν;* quae quomodo orta sit, facile intelleges, si memineris substantivum *φρίξ* duobus apud Homerum locis coniunctum esse cum adiectivo *μέλαινα* *Φ* 126:

---

[1] de quibus vide Lehrs. *Arist.*[2] p. 90.

[2] Cf. Et. gen. φρίκα· τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ κύματος.

[3] Cf. E. Horn, *De Aristarchi studiis Pindaricis* p. 73.

θρώσκων τις κατὰ κῦμα μέλαιναν φρῖχ' ὑπαΐξει

et *δ* 402: *μελαίνῃ φρικὶ καλυφθείς*, quo factum est, ut principali illa horroris significatione neglecta nigri coloris tantum, qui simul exoritur (*μελάνει δέ τε πόντος ὑπ' αὐτῆς* *H* 64) maneret. —

Jam redeamus ad Sophoclis versus supra exscriptos; quibus in componendis certo poetae animo obversatus est ille Homeri locus *H* 63; nam utroque loco descriptio aequoris vento primum cooriente leviter agitati ad exornandam comparationis figuram oratoriam adsumpta est; accedit quod illud *ἐπιδράμῃ* manifesto respicit Homeri *ἐχεύατο πόντον ἔπι.* Quod si probaveris, concedes Sophoclem secutum esse explicationem eam, quam postremam supra commemoravimus (schol. *EH* ad *δ* 402), qua *φρίξ* describitur: *ἡ ἐπιγενομένη μελανία.*[1] Quam interpretationem Sophoclis esse iam Bergkius putasse videtur, atque hac re ipsa doctus ille vir haud scio an commotus sit, ut illud *ἔρεβος ὕφαλον* (*Ant.* 587) in *ἔφαλον* mutaret; quamquam illius coniecturam probare nequeo, cum *ἔφαλος* semper (cf. e. g. *ἔφαλοι κλισίαι* *Ai.* 191) significet „in litore situs".

Totius autem quaestionis si summam facis, apparet Homericum illud *φρίξ* neque „frigus" significare, ut nonnulli voluerunt (cf. schol. *A* ad *Φ* 126) neque „spumam maris primum vento agitati", ut alii (cf. schol. *AD* ad *H* 63) neque Sophoclem recte vidisse, cum paraphrasi: *ὅταν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ* usus est, sed Aristarchum primariam illius glossae significationem intellexisse quae est: „maris exoriente vento citati horror."

O.R. 1095.

ὡς ἐπίηρα φέροντα
τοῖς ἐμοῖς τυράννοις.

---

[1] Rectam eandemque illustrem poeticam interpretationem invenies Anth. Pal. X 2:

ἀκμαῖος ῥοθίῃ νηὶ δρόμος, οὐδὲ θάλασσα
πορφύρει τρομερῇ φρικὶ χαρασσομένη.

Quam sententiam totam ut ex Homero (*Α* 572 al) poetam Atheniensem deprompsisse nemo negaverit, ita idem apud Sophoclem valere quod apud Homerum; cuius interpres fidelis Hesychius est s. v. *ἦρα*·[1] . . . . . *χάριν, βοήθειαν, ἐπικουρίαν*, „*Πατρὶ φίλῳ ἐπὶ ἦρα φέρων Διΐ*“, quocum cf. E.M. 435,14: *Ἡρακλῆς· . . . . . παρὰ τὴν ἦρα, τὴν σημαίνουσαν τὴν μετ᾽ ἐπικουρίας χάριν, καὶ τὸ κλέος, γέγονεν Ἡρακλῆς·*

Ἡρακλέην δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει,
ἦρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις.[2]

De sententia igitur dictionis *ἐπίηρα φέροντα* Sophocli probata constat; de scriptione est quod dubites. Magnopere enim grammatici veteres inter se dissidebant, utrum in Homeri carminibus *ἐπὶ ἦρα φέρων*, an *ἐπίηρα φέρων* scribendum esset;[3] qua in re longe plurimum valuisse videtur Aristarchi sententia, quam praebet schol. *Α* ad *Α* 572: *Ἀρίσταρχος δὲ ὑφ᾽ ἕν, κατ᾽ ὀρθὴν σημασίαν, τὸ ἐπίηρα· καὶ ἐπεκράτησεν ἡ Ἀριστάρχου, καίτοι λόγον οὐκ ἔχουσα.*[4] Jam vero Aristarchum ipsum huius sententiae auctorem non fuisse certum est; plus centum annis ante eum Apollonius Rhodius eadem interpretatione usus ad Homeri exemplum ausus est dicere (IV 375):

ὄφρ᾽ ἐπίηρα φέρωμαι ἐοικότα μαργοσύνῃσιν, quod scholiasta recte sic interpretatus est: *ἵνα ἀξίαν ἀπολάβῃ χάριν τοῦ πρὸς αὐτὸν ἔρωτος*, ita ut *ἐπι-* ad verbum *φέρωμαι* nullo pacto referre liceat. Habuit igitur poeta doctissimus *ἐπίηρα* pro accusativo vocis *ἐπίηρ* vel potius *ἐπίηρον*, quod *χάριν* ei valebat. Nec tamen Apollonii temporibus haec doctrina debetur. Ubi primum carmina Homeri explicari coepta sunt, dissidium inter grammaticos vel imitatores exoriri necesse erat; ipsa

[1] De vocis etymo cf. schol. ad γ 164: ἦρα φέροντες· ἐπιθυμητά· ἀπὸ τοῦ ἀρῶ τὸ ἁρμόζω, ἦρα, ἐπίηρα, ἐπέραστα; Schulze *quaest. epic.* p. 302[1] nomen Διώρης a Ϝηρ- ductum esse putat = Διο-(Ϝ)ήρης i. e. Jovi carus.

[2] Seleuci est, cf. Reitzenstein, *Gesch. der griech. Etym.* 160,7 cum adnotatione

[3] Cf. Buttmann *lex. Hom.* I p. 149 sq.

[4] Cf. Apoll. Soph. 73,11.

enim carmina ansam dubitandi praebebant: iis qui *ἐπὶ ἦρα φέροντες* distinxerunt, licuit provocare ad *Ξ* 132: *θυμῷ ἦρα φέροντες*, ubi simpliciter vox *ἦρα* legitur; qui *ἐπίηρα* coniungi maluerunt, e prosodiae legibus sententiae suae rationes repetivisse credendi sunt: male hiare orationem, si duo essent vocabula *ἐπὶ ἦρα*, contra in composito *ἐπίηρα* hiatum ferri posse (cf. *ἐπίουρος, ἐπίορκος*). Hi ergo duo vocabula *ἦρα* et compositum *ἐπίηρα* eadem significatione q. e. *χάριν* ab Homero usurpata esse statuerunt.

Atque Bacchylides X 19:[1]

ἐν πεδίῳ στέφανοι
Κίρρας ἔπεσον κρατερᾶς
ἦρα παννίκοιο πάλας.

vocabulum simplex *ἦρα* adhibuit, ut illum *ἐπὶ ἦρα φέρων* legisse conieceris; quamquam fatendum est, hoc propterea non nimis certum esse, quia fieri potest, ut poeta Ceus ad exemplum versus *Ξ* 132: *θυμῷ ἦρα φέροντες* verba sua finxerit aut illud *ἦρα* sicut Alexandrini vocis *χάριν* loco posuerit.[2] Sed de Sophocle certum praedicare licet. Praefracte enim negamus poetam Atheniensem leges et proprietates prosodiae Homericae in carminibus condendis ita esse secutum, ut suae artis legem eam, quae exceptionis impatiens est, legem dico de hiatu intra metri fines vitando, violaret atque everteret; quod fecisset, si *ἐπὶ ἦρα φέροντα* versibus suis inculcasset. Sophocles si dictionem illam interpretatus esset: *ἦρα ἐπιφέρων*, in tmesi non potuit non dicere: *ἐπ᾽ ἦρα φέροντα*. Ergo *ἐπίηρα φέροντα* intellexit legit scripsit. Ad tantam igitur antiquitatem sententia recedit, quam scholiastae perhibent fuisse Aristarchi.

[1] Cf. Pherecyd. Syr. (Grenfell-Hunt, Greek Papyri II p. 21 sq): σὺ δέ μοι χαῖρε καὶ [ἦ]ρ[α] ἴσθι quod Diels *Sitz. Berlin. Acad.* 1897, p. 148[2] coniecit.

[2] Cf. Wilam. *Gött. gel. Anz.* p. 154 et schol Α ad Α 572: οἱ δὲ νεώτεροι ἀντὶ συνδέσμου αἰτιώδους χρῶνται, ἀντὶ τοῦ χάριν, ἕνεκα.

O.C. 670:

τόνδ' ἀργῆτα Κολωνόν, ἔνθ'
ἁ λίγεια μινύρεται
θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις
τὸν οἰνῶπα νέμουσα κισσὸν καὶ τὰν ἄβατον θεοῦ
φυλλάδα μυριόκαρπον ἀνάλιον
ἀνήνεμόν τε πάντων
χειμώνων.

Apud multos Graecorum poetas invenies locos, quibus illi lusciniam filii mortem suavissimis modis maerentem inducunt; Aeschyli est illud: *ἀηδὼν Ἴτυν Ἴτυν στένουσα Agam.* 1144, Sophocles quoque homines, qui ipsorum calamitatem magna cum voce deplorant, cum luscinia comparare solet, ut *Trach.* 962: *ὀξύφωνος ὡς ἀηδών*, vel *El.* 1077: *ἁ πανδύρτος ἀηδών κτλ.*, vel *Ai.* 629: *οἰκτρᾶς γόον ὄρνιθος ἀηδοῦς.* —

Quae sententia quamvis usitata fuisse videatur, tamen Sophoclem, cum luci Colonei amoenitatem pulcherrimis illis versibus, quos supra commemoravimus, celebrare voluit, usque ad Homerum ut auctorem et quasi fontem illius sententiae rediisse, ego quidem pro certo habeo. Legimus enim *τ* 518:

ὡς δ' ὅτε Πανδάρεω κούρη χλωρηὶς Ἀηδὼν
καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,
δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν
ἥ τε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν,
παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.

Quarum sententiarum similitudo etsi evidentior est, quam ut in dubium vocari possit, tamen ultro singulis argumentis probatur. *Χλωρηίς* enim illud Homericum explicatur apud Eust. p. 1875,40: *χλωρηὶς δὲ ἀηδὼν ἢ ὡς ἐν χλωροῖς, φασί, διατρίβουσα, ἢ ὡς ἅμα τοῖς χλωροῖς φαινομένη·*[1] *ἔαρος γὰρ φαίνεται. ἢ διὰ τὸ χρῶμα· διό, φασί, καὶ παρὰ Σιμωνίδῃ χλωραύ-*

[1] Quae explicatio ex *τ* 519: *ἔαρος νέον ἱσταμένοιο* fluxisse luce clarius est.

χενες[1] *αἱ ἀηδόνες λέγονται.* Eadem, sed paucioribus verbis, praebet Apoll. Soph. 168,15: *χλωρηὶς ἀηδών· ἀπὸ τοῦ χρώματος ἢ διὰ τὸ ἐν χλωροῖς δένδροις διάγειν.* Qua in dissensione Sophocles id quod ipse sensit, aperte demonstravit; nam cum paraphrasi usus sit: *ἀηδὼν χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις*, ipse putavit illud *χλωρηίς* idem esse atque *ἀηδὼν ἐν χλωροῖς δένδροις διάγουσα;* quod si revera putavit, ego quidem magnopere dubitarim, num recte Homerum intellexerit. —

Praeterea illud:

τὰν ἄβατον θεοῦ
φυλλάδα μυριόκαρπον ἀνάλιον
ἀνήνεμόν τε πάντων χειμώνων,

quid est aliud atque illud Homeri *τ* 520:

δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,

auctum scilicet atque ornatum, attamen auctum nulla alia sententia nisi ea, quam Sophocles iam ipse apud Homerum invenerat *ε* 478:

τοὺς μὲν ἄρ' οὔτ' ἀνέμων διάει μένος ὑγρὸν ἀέντων
οὔτε ποτ' ἠέλιος φαέθων ἀκτῖσιν ἔβαλλεν,
οὔτ' ὄμβρος περάασκε διαμπερές· ὣς ἄρα πυκνοὶ
ἀλλήλοισιν ἔφυν ἐπαμοιβαδίς. —

Toto igitur loco Sophoclem Homerum imitatum esse haud scio an nemo negaverit.

Phil. 300 sqq:

φέρ', ὦ τέκνον, νῦν καὶ τὸ τῆς νήσου μάθε·
ταύτῃ πελάζει ναυβάτης οὐδεὶς ἑκών·
οὐ γάρ τις ὅρμος ἔστιν, οὐδ' ὅποι πλεών
ἐξεμπολήσει κέρδος ἢ ξενώσεται.

[1] Cf. Eurip. *Hel.* 1111: διὰ ξουθᾶν γενύων ἐλελιζομένα.

Id quod Sophocles hoc loco de Lemno insula tradit, multum differt ab iis, quae apud Homerum legimus. Nam et in ipsa insula urbs invenitur *ϑ* 283:

εἴσατ' ἴμεν ἐς Λῆμνον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον
ἥ οἱ (Vulcano) *γαιάων πολὺ φιλτάτη ἔσκεν ἁπασέων,*

et Achaei in Troianos profecturi naves ad illam appulerunt Θ 231:

ἔσθοντες κρέα πολλὰ βοῶν ὀρθοκραιράων,
πίνοντες κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο.

Praeterea insulam vini feracissimam fuisse notissimum est ex *H* 467:

νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέστασαν οἶνον ἄγουσαι
πολλαί, τὰς προέηκεν Ἰησονίδης Εὔνηος,

quod, si soli naturam respexeris, nihil admirationis habebit; erat enim insula Vulcani sacra vel amicissima (cf. supra *ϑ* 284). Attamen Sophocles, cum tam singularia de huius insulae conditione prodit, locum quendam Homeri respexisse videtur, dico *Ω* 751:

ἄλλους μὲν γὰρ παῖδας ἐμοὺς πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς
πέρνασχ', ὅν τιν' ἕλεσκε, πέρην ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
ἐς Σάμον ἔς τ' Ἴμβρον καὶ Λῆμνον ἀμιχθαλόεσσαν.

Quae vox *ἀμιχθαλόεσσα* explicatur a schol. *A* h. l.: *ἤτοι ἀπρόσμικτον, ἣ ῥαδίως οὐ μίγνυται ὁ ἀπὸ τῆς θαλάσσης, καθὸ ἀλίμενός ἐστιν· ἢ διὰ τοὺς ἐνοικοῦντας ἀγρίους καὶ θηριώδεις καὶ ληστρικὸν βίον ἐπανῃρημένους.*[1]

Quam vocis originationem, etsi vehementer grammaticorum praeceptis repugnat, ut Doederlein *Gloss.* 1064 probavit, tamen multi veterum grammaticorum veram esse putabant, quibus Sophocles assensus est, non solum loco supra commemorato, sed etiam *Phil.* 2:

---

[1] sim. Etym. genuin. (Reitzenstein, *Gesch. der griech. Etym.* p. 26); Eust. 1374,15; Apoll. Soph. 27,14 alii.

Λῆμνος, βροτοῖς ἄστειπτος[1] *οὐδ' οἰκουμένη,*

v. 217: *ἢ ναὸς ἄξενον αὐγάζων ὅρμον*, v. 221: *οὔτ' εὔορμον οὔτ' οἰκουμένην.*

Erant tamen grammatici quamvis pauci, qui aliam illius vocis interpretationem tuebantur; nam schol. *A* ad *Ω* 753 pergit: *ἔνιοι δὲ οὐχ οὕτως ἀλλὰ τὴν ὁμιχλώδη ἀπέδοσαν,* quae significatio Homero aptior esse videtur; Lemnus enim insula nebulosa est „*διὰ τὰ ἐργαστήρια Ἡφαίστου.*"

Phil. 1161

Verbis: *ὅσα πέμπει βιόδωρος αἶα* Sophoclem[2] Homeri illud: *φέρει ζείδωρος ἄρουρα* imitatum esse luce clarius est; quonam ex etymo autem *ζείδωρος* adiectivum ortum sit, iam apud veteres minime constabat. Alii enim (velut *E.M.* 410,6) dicebant: *ζείδωρος ἄρουρα· παρὰ τὸ τὰς ζειὰς δωρεῖσθαι, ζειόδωρος,* alii (velut Apoll. Soph. 81,2): *ἡ τὸ ζῆν δωρουμένη γῆ.* Ei autem, quam Apollonius prodit, interpretationi multi veterum assensi esse videntur; inter quos Empedocles e. g. (*frg.* 151, Diels) adiectivum *ζείδωρος* Veneri attribuit, a qua omne quod nascitur, vitae originem accipit. Tamen verisimilior mihi videtur sententia eorum, qui putant *ζείδωρος* a *ζειαί* (i. e. frumentum) ductum esse;[3] frumentum autem cum omnibus temporibus omnium rerum maxime ad vitae usum pertineret, *ζείδωρος* nihil aliud significat nisi „victum praebens". Sed ne distinctione nimis arguta utaris, reputa tecum, quam arto vinculo „vita" et „victus" inter se conexa sint. Sophocles quoque cum paraphrasi *βιόδωρος αἶα* utitur, non distincte sententiam suam dixit, nam *βίος* et vitam et victum significat. Quamquam, si totius loci sensum respexeris:

---

[1] Cf. Eurip. *Iph. Taur.* 402: (de Taurorum finibus) ἄμικτον αἶαν.

[2] Cf. Eurip. *Hipp.* 750: ἁ βιόδωρος χθών, ubi codices nonnulli: ἵν' ὀλβιόδωρος.

[3] Schulze, *quaest. epic.* p. 289 recte censet, non ζείδωρος, sed ζεέδωρος scribendum esse, quod cum quodam *ζεϝά compositum sit; feminino ζεϝά respondere masculinum *ζεϝός in φυσίζοος, cf. Fick, *Bezzenb. Beitr.* XIII (1888) p. 316.

πόθεν γὰρ ἔσται βιοτά;
τίς ὧδ' ἐν αὔραις τρέφεται,
μηκέτι μηδενὸς κρατύνων ὅσα πέμπει
βιόδωρος αἶα,

Sophocles interpretationem illam ab *E.M.* 410,3 laudatam: *ἡ τὰ πρὸς τὸ ζῆν δωρουμένη, βιόδωρος,* quae mediam quandam viam sequitur, probasse videbitur.

Trach. 474:

Ut apud Homerum ii qui pluribus verbis aliquid tractaturi sunt, dicendi exordium inde ducere solent, ut affirment se minime a veritate deflexuros esse, velut *τ* 269:

νημερτέως γάρ τοι μυθήσομαι οὐδ' ἐπικεύσω.

ita Sophocles quoque Licham asseverantem facit *Trach.* 474:

πᾶν σοι φράσω τἀληθὲς οὐδὲ κρύψομαι.

Quod cum dixit, recordatus est illud Homeri *δ* 141:

τῶν οὐδέν τοι ἐγὼ κρύψω ἔπος οὐδ' ἐπικεύσω;

in quo versu cum duo synonyma reperiantur, Sophocles veterum explicatorum more verbum vetustius[1] usitato usus interpretatus est, sicut Hesychius explicat: *ἐπικεύσω· κρύψω.* Ceterum recte vertit adiectivum *νημερτές* illo *τἀληθές,* velut Eust ad *A* 514: *ἐστὶ δὲ νημερτὴς τὸ μὴ ἡμαρτημένον διὰ τὸ ψεύδεσθαι, ἀλλ' ἀληθές.*

Trach. 500 sqq:

ὅπως Κρονίδαν ἀπάτασεν οὐ λέγω
οὐδὲ τὸν ἔννυχον Ἅιδαν
ἢ Ποσειδάωνα τινάκτορα γαίας.

[1] Aeschylus *Agam.* 800 voce Homerica ἐπικεύσω uti non dubitavit.

Quod cum scripsit Sophocles, certo animo eius observatus est illustris ille locus Homeri *O* 187 sqq, ubi exponitur, quomodo tres illi di, qui summi putantur, Juppiter Pluto Neptunus, mundum inter se distribuerint. De Plutone autem legimus ibidem *O* 191: *Ἀίδης δὲ λάχεν ζόφον ἠερόεντα,* quod explicat Apoll. Soph. 81,5 atque similiter Hesychius s. v. *ζόφον ἠερόεντα: τὸν Ἀίδου τόπον ὁμιχλώδη· λέγει δὲ ὁ ποιητὴς καὶ τὸ σκότος καὶ τὴν δύσιν ζόφον.* Sophocles autem cum dicit loco supra exscripto, quo eosdem deos inducit: *οὐδὲ τὸν ἔννυχον Ἅιδαν,*[1] quod schol. vertit: *τὸν ἐν σκότῳ διατρίβοντα,* eandem interpretationem secutus est. —

Quod attinet ad Neptuni epitheton *ἐνοσίγαιος,* quod eodem loco *O* 184 legitur, Sophocles etiam hanc vocem paraphrasi usus interpretatur: *Ποσειδάωνα τινάκτορα γαίας,* qua in re non dissentit ab Hesychio *ἐνοσίγαιος· σείων καὶ κινῶν τὴν γῆν.* Sed num recta sit haec interpretatio, nostris temporibus addubitatum est. Goebel enim (*Zeitschr. f. östr. Gymn.* 1876 p. 246 sq) permira quadam ratione probasse sibi videtur, epitheton *ἐνοσίγαιος* nihil aliud significare nisi „erdenetzend, Erdbewässerer". Cui haud quemquam nostrum assensurum esse confido; nam apud Homerum ipsum Neptunus inducitur tridente suo et mare tempestatesque commovens *ε* 291 sq, et saxa frangens *δ* 506, et terram ipsam concutiens *Y* 57:

αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξεν
γαῖαν ἀπειρεσίην ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα.

Quid? quod Neptunus appellatur Hom. *hym.* XXII, 2:

γαίης κινητῆρα καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης,

vel: *ὁ κινητὴρ δὲ γᾶς* Pindar. *Isthm.* IV, 19, *Ἐλελίχθων Pyth.* VI, 50, *Κρόνου σεισίχθων υἱός Isthm.* I 52, vel: *γῆς τε καὶ ἁλμυρᾶς θαλάσσης μοχλευτής* Aristoph. *Nub.* 567? — Veterum igitur omnes viri docti eandem atque Sophocles explicationem

[1] Cf. *O.C.* 1559: ἐννυχίων ἄναξ, *Ai.* 660: ἀλλ' αὐτὸ νὺξ Ἅιδης τε σῳζόντων κάτω.

praebent; quae licet non prorsus vera atque principalis sit, tamen aliam, quae rectior sit, nostra quidem aetate inveniri posse vix crediderim.[1]

Trach. 1095 sq:
De Centauris dicitur:

διφυῆ τ᾽ ἄμικτον ἱπποβάμονα στρατὸν
θηρῶν, ὑβριστὴν, ἄνομον, ὑπέροχον βίαν.

Quae sententia tota ad Homerum ficta est; atque primum quidem vocabulo *θῆρες* explicatur Homericum *φῆρες*, quo Centauri — etiam nomine non adposito — intelleguntur (*A* 268, *B* 743); de qua voce idem sentiunt Hesychius s. v. *φῆρα· θῆρα εἶπεν* atque *Φῆρες· οἱ Κένταυροι,*[2] *Αἰολικῶς*[3] neque aliter Eust. ad *A* 268: *ὅτι φῆρας ὀρεσκῴους τοὺς Κενταύρους φησί, τουτέστι θῆρας ὀρειφοίτας.*

Adiectivis autem *ὑβριστήν* et *ἄνομον* Sophoclem duas voces Homericas: *ὑπερφίαλος* et *ἀθέμιστος* interpretari voluisse manifestum est. Quamquam enim non ignoro, apud Homerum non Centauros, sed Cyclopes[4] ita appellari *ι* 106:

Κυκλώπων ἐς γαῖαν ὑπερφιάλων ἀθεμίστων,

tamen unusquisque facile intellegat, utrosque a poeta epico ut homines feros atque altis in montibus habitantes induci (*A* 268 de Centauris: *φηρσὶν ὀρεσκῴοισι,*[5] *ι* 113 de Cyclopibus: *ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα ἐν σπέσσι γλαφυροῖσιν*), ita ut nihil impediat, quominus epitheta illa a Cyclopibus in Centauros transfe-

[1] Cf. Schulze, *quaest epic.* p. 160.

[2] Cf. Reitzenstein, *Strassb. Homerschol.*, Herm. 35 p. 617: φηρσίν· κενταύροις.

[3] Cf. Hoffmann, *Griech. Dial.* II p. 498.

[4] de iisdem Cyclopibus cf. Bacchyl. X, 77: τεῖχος δὲ Κύκλωπες κάμον ἐλθόντες ὑπερφίαλοι.

[5] de Chirone cf. Pindar. *Pyth.* III, 5: βάσσαισί τ᾽ ἄρχειν Παλίου Φῆρ᾽ ἀγρότερον.

rantur.[1] Quae autem vocis *ὑπερφίαλος* sit origo, neque nos certo scimus neque sciebant veteres, quorum alteri ex *φιάλη* eam deductam esse putabant, quod minime intellegi potest, alteri ex *ὑπερφυής*, velut Aristarchus schol *ι* 106: *μεγαλοφυῶν τῷ σώματι.* Neque dubito, quin grammaticus hic insignis recte de huius adiectivi etymo iudicaverit cum dixit, vocis naturali ac principali significationi, qua figura quaedam humano statu grandior denotaretur, nihil vituperatione dignum inesse, ad quod probandum contulit *φ* 289, ubi Antinous dicit: *ὑπερφιάλοισι μεθ᾽ ἡμῖν;* nam „*οὐκ ἂν ἑαυτοὺς κακῶς ἔλεγον*" (Apoll. Soph. 158,30). Plerisque vero apud Homerum locis *ὑπερφίαλος* nihil aliud significat nisi „superbus, insolens", et praecipue effrenati Penelopae proci sic nominantur. Quod autem Aristonicus dicit ad *O* 94: *ἡ διπλῆ ὅτι ὑπερφίαλος νῦν μὲν ἐπὶ ψόγου*, id non solum illius demum temporibus valebat, sed iam Sophoclis aetate, quippe quem *ὑπερφίαλος* voce *ὑβριστής* interpretatum esse ex loco supra commemorato satis appareat. — Loco autem alterius adiectivi *ἀθέμιστος*, quod schol. *A* ad I 63 interpretatur: *ἀθέμιστός ἐστιν ὁ ἄδικος καὶ ἄνομος καὶ θηριώδης,* Sophocles voce *ἄνομος* utitur.

Restat unum apud Sophoclem epitheton: *ὑπέροχον βίαν*, quod ad aliam Homeri vocem respondere videtur. Quod si respicio *ζ* 5:

ἀγχοῦ Κυκλώπων ἀνδρῶν ὑπερηνορεόντων,

Sophoclem spectasse crediderim ad illud *ὑπερηνορεόντων*, quod explicat schol. *V* l. l.: *ὑπερηνορεόντων· ὑπερεχόντων τῇ ἠνορέῃ, ὅ ἐστι τῇ ἀνδρείᾳ.*[2] Neque dubito scholiastae assentire qui negat verbo *ὑπερηνορέω* — sicut adiectivo *ὑπερφίαλος* — ab initio malam quandam notionem subiectam fuisse, quamquam de hac re et nostris temporibus Buttmann *lex. Hom.* II 214 dubitavit et antiqui diversas sententias aperuisse videntur,

[1] Quod a Pindaro quoque factum esse docet *Pyth.* II 42: γόνον ὑπερφίαλον . . . . ὀνύμαξε τράφοισα Κένταυρον.

[2] Cf. Pind. *Nem.* III 20: ἀνορέαις ὑπερτάταις.

cf. *E.M.* 778,55: *ὑπερηνορεόντων· ἤτοι τῶν ὑπερεχόντων τῇ ἠνορέῃ, τουτέστιν ἀνδρείων, ἢ τῶν ὑπὲρ δύναμιν φρονούντων, ὑπερηφάνων.* Adiectivo *ὑπερηνορέων* autem praeter Homerum unus Aristophanes usus est, qui comice sententiam vertit *Pax* 50 sqq:

ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις
καὶ τοῖσιν ἀνδρίοισι καὶ τοῖς ἀνδράσιν
καὶ τοῖς ὑπερτάτοισιν ἀνδράσιν φράσω
καὶ τοῖς ὑπερηνορέουσιν ἔτι τούτοις μάλα,

ubi schol. haec praebet: *τοῖς ὑπερβαίνουσι τὴν τῶν ἀνδρῶν ἡλικίαν. ἢ τοῖς ὑπερηφάνοις. ἢ τοῖς τούτων ἰσχυροτέροις καὶ μᾶλλον ἀκμάζουσι. καὶ Ὅμηρος ἠνορέη.*

Trach. 1166 sq:

ἃ τῶν ὀρείων καὶ χαμαικοιτῶν ἐγὼ
Σελλῶν ἐσέλθων ἄλσος εἰσεγραψάμην.

Jam dudum viri docti intellexerunt, Sophoclem hoc loco illustres illos Homeri versus imitatum esse, quibus *Σελλοί*, Jovis sacerdotes, describuntur *Π* 233 sqq:

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικέ, τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου, ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

Apud Sophoclem, qui Homeri vocem quam minime mutavit, pro *χαμαιεύνης* legimus *χαμαικοίτης*, cum substantivo *εὐνή* propria significatione, qua „cubile" valet, tragicus poeta non utatur. Eundem autem abhorrere ab errore illo incredibili eorum qui putant,[1] Homerum hic egisse de genere quodam incubationis in modum Fauni Latini, facile intellegas ex eo, quod

[1] schol. V ad Π 235: οἱ χαμαὶ ὄντες καὶ τὰ πόρρω σκοποῦντες, et Eust. p. 1057,64: χαμαὶ γάρ, φασί, δοραῖς ἐγκοιμώμενοι δι' ὀνείρων τοῖς χρωμένοις χρηματίζουσιν ἐκ Διός, καθὰ καὶ Λυκόφρων ἱστορεῖ.

ipse, ut illud *χαμαιεῦναι* ex victus asperitate gentis montanae explicandum esse indicaret, *ὄρειος*[1] adiectivum addidit, tum ex eo qui sequitur versu 1168:

πρὸς τῆς πατρῴας καὶ πολυγλώσσου δρυός.

Multo vero accuratius Euripides hos versus interpretatus est, qui dicit *frg.* 367:

ἐν ἀστρώτῳ πέδῳ
εὕδουσι, πηγαῖς δ' οὐχ ὑγραίνουσιν πόδας.

EURIPIDES.

Bacch. 1267:

λαμπρότερος ἢ πρὶν καὶ διιπετέστερος.

Adiectivum *διιπετής*[2] apud Homerum fluminibus velut Nilo (*δ* 477,581), Xantho (*Φ* 268,326), Spercheo (*Π* 174) aliis attribuitur. Porphyrius autem (schol. *B* ad *P* 263 = Schrader I p. 213) commentariolo magna cum sagacitate confecto demonstravit, omnia fluviorum numina nymphis etiam montanis minime exceptis ita appellari posse, *ἐπειδὴ καὶ τὰ ἐν τοῖς ὄρεσι φυτὰ τῷ τοῦ Διὸς ὄμβρῳ τρέφεται.* Ipse igitur usitatae illi vocis interpretationi assensus esse videtur, quam exhibet schol. *A* ad *Π* 174: *ἀπὸ Διὸς πεπτωκότος, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ὀμβρίων ὑδάτων πληροῦσθαι τοὺς χειμάρρους,* itemque *E.M.* 275,9 s. v. *διιπετής· ὁ Νεῖλος*[3] *καὶ ὁ Ξάνθος· παρὰ τὴν Διὶ δοτικὴν καὶ τὸ*

[1] Cf. Aeschyl. *Suppl.* 258: ὄρη τε Δωδωναῖα.

[2] Cf. Schulze, *quaest epic.* p. 237 sq.

[3] Keil praeceptor clarissimus me monuit ad δ 581 (ἂψ εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο) conferendum esse Aristidem XXXVI, 104 sq (K) qui illud διιπετής explicare studet: καὶ μὴν εἴ γε 'πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε' ἔστιν ὁ Ζεύς, καὶ ποταμῶν ἂν εἴη καὶ τῶν γιγνομένων ἐν τῷδε τῷ παντὶ [πάντων], πρέπων τ' ἐστὶ καὶ Νείλου κεκλῆσθαι πατὴρ οὐχ ἧττον ἢ Ξάνθου τοῦ Τρωικοῦ. οὕτω μὲν δὴ καὶ Νεῖλον φήσαιμ' ἄν, ὅπερ εἶπον, εἶναι Διὸς ἔργον τε καὶ παῖδα.

πεσεῖν γέγονε· οἱονεὶ ὁ ἀπὸ τοῦ Διὸς πεπτωκότος.[1] Sed iam pergit Porphyrius l. s. c.: *Ζηνόδωρος*[2] *δὲ διιπετῆ τὸν διαυγῆ ἀποδίδωσιν· διὰ τοῦτο καὶ γράφει διειπετῆ διὰ τῆς ει διφθόγγου.* Quae interpretatio certe mira est ac frustra, quanam ratione orta sit, patefacere studeas.[3] Sed multo magis commemoratione dignum est, iam Euripidem eandem secutum esse, id quod non ignorabat schol. *B* ad *Π* 174: *διιπετέος· λαμπροῦ· καὶ Εὐριπίδης „λαμπρότερός τίς ἐστι καὶ διιπετέστερος.“* Sed Euripidis tragoedias si perlustraveris, facile videbis poetam praeter *διιπετής* etiam adiectivo *διοπετής* usum esse, atque locis iis qui hic respiciendi sunt, diligenter comparatis: *Bacch.* 1267 : *(αἰθὴρ) λαμπρότερος ἢ πρὶν καὶ διιπετέστερος,*[4] *frg.* 815: *δμωσὶν δ' ἐμοῖσιν εἶπον ὡς ταυτηρίαις πυρίδες καὶ διιπετῆ κτεῖναι,*[5] atque rursus *Iph. Taur.* 977: *διοπετὲς λαβεῖν ἄγαλμ' Ἀθηνῶν, frg.* 971: *διοπετὴς ὅπως ἄστηρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς ἐς αἰθέρα,* statim intelleges, hoc non fortuito a librario aliquo, sed consulto ab ipso Euripide variatum esse; hic igitur adiectivo *διοπετής* eam notionem subiecit quam Homerico *διιπετής* inesse vidimus (*ἀπὸ Διὸς πεπτωκώς*), cum huius significationem plane mutaverit.

Quae interpretatio a grammaticis illius aetatis constituta obtinuisse videtur; nam cum scholiasta *A* ad *P* 263 haec praebet: *διιπετέος δὲ διοπετοῦς, οἱ γὰρ ὄμβροι ἀπὸ Διός,* distincte monet, *διιπετής* hoc loco idem significare, quod adiec-

[1] Quod ex Choerob. orthogr. fluxisse Reitzenstein me monuit, cf. Cramer, *Anecd. Ox.* II p. 192,30.

[2] Ne Zenodori nomen in Zenodoti mutandum esse conicias, recte monet La Roche, Hom. Textkr. p. 226; cf. etiam Herm. Pusch, *Quaestiones Zenodoteae* (Diss. Hal. XI) p. 135 sqq.

[3] Aliter res se habet Hom *hymn. Ven.* 4: οἰωνούς τε διιπετέας καὶ θηρία πάντα, ubi Schulze l. l. p. 238 διειπετέας scribendum esse, ut sit „caelum pervolantes“, recte censet; incipit enim hoc vocabulum a locativo nominis *dives (= caelum); cf. εὐδιεινός < *εὐ-διϝες-νός (Grassmann. K.Z. XI 7).

[4] Cf. Rhes. 43: διιπετῆ δὲ ναῶν πυρσοῖς σταθμά (castra excubiarum ignibus fulgentia).

[5] Locus graviter corruptus; δμωσὶν δ'ἐμοῖσιν εἶπον ὡς καυτήρια ἐς πῦρ ἔδει καὶ [ταῦτα] δὴ διιπετῆ θεῖναι coni. Valckenaer *Diatr.* p. 274.

tivo *διοπετής* exprimere in usu erat. Postea scilicet *διιπετής* et *διοπετής* adiectiva non iam discernebantur; compara e. g. Luc. *imag.* 9: *θεσπέσιόν τι χρῆμα, ὦ Λυκῖνε, φὴς καὶ διιπετὲς ὡς ἀληθῶς οἷον τι τῶν ἐξ οὐρανοῦ γένοιτ' ἄν* atque Luc. *Icarom.* 2: *ὄνειρον γάρ, ὦ τᾶν, δοκῶ σοι λέγειν ὃς ἀρτίως ἀφῖγμαι παρὰ τοῦ Διός; — Πῶς ἔφησθα; Μένιππος ἡμῖν διοπετὴς πάρεστιν ἐξ οὐρανοῦ; — Καὶ μὴν ἐγώ σοι παρ' αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ πάνυ Διὸς ἥκω,* utrique voci eandem significationem subiectam esse censebis, eamque quae primaria adiectivi *διιπετής* fuisse videtur. Intellegitur autem ex hac quaestione, quam multum iam Euripidis temporibus grammaticorum auctoritas valuerit.

Iph. Aul. 247 sqq:

Ἀτθίδος δ' ἄγων
ἑξήκοντα ναῦς ὁ Θησέως
παῖς ἑξῆς ἐναυλόχει θεὰν
Παλλάδ' ἐν μωνύχοις
ἔχων πτερωτοῖσιν ἅρμασιν θετόν.

Phoen. 792: *μώνυχα πῶλον.*

Adiectivi *μῶνυξ*[1] quod apud Homerum semper equorum epitheton est, veteres grammatici unam tantum interpretationem novisse videntur, quam praebent et alii et Hesychius s. v. *μῶνυξ· ὁ μίαν ὁπλὴν ἔχων, μονώνυχος,*[2] quae proxime ad veritatem accedere videtur; quamquam *μῶνυξ* non a *μονώνυχος*, sed a **σμ-ῶνυξ* (cf. lat. simplex) deducendum est.[3] Recentioribus demum quibusdam viris doctis interpretationem illam antiquitus traditam in dubitationem vocare placuit, imprimis Doederleinio, qui dicit *Gloss.* 882: „Wenn ich den ehrwürdigen

[1] Adiectivum μώνυχος Euripides novasse videtur, sicut et τρίκορυς et τρικόρυθος exhibet, cf. infra p. 58.1

[2] Cf. Et. gen. Μώνυχας· μονώνυχας ὡς ἀπὸ τοῦ ὀνόματος ȣ (= ὄνομα, locus corruptus) καὶ συνώνυμον καὶ ἀπὸ τοῦ μόνος καὶ τοῦ ὄνυχος ἀποβολῇ τοῦ ν μονώνυχος (l. μοώνυχας) καὶ κράσει τοῦ ο καὶ ω εἰς ω μέγα μώνυχας.

[3] Cf. Schulze, *quaest epic.* p. 107 et 117.6

Traditionen entgegentrete, so liegt der Hauptgrund in meinem Missbehagen an solchen indifferenten epithetis ornantibus oder perpetuis, welche weder ein Lob enthalten wie *κρατερώνυχες*, noch ein lebendiges Bild gewähren wie *γαμψώνυχες*. — Vielmehr ist *μώνυχες* eine Aphäresis aus *ὁμώνυχες* und bedeutet Pferde, die zusammen eingefahren sind, *ὁμοῦ χθόνα νύσσοντες ὀνύχεσσι*.“ Quae cum omni argumento careant, missa faciamus.

Multo magis in rem esse videtur, ex scriptoribus quam maxime antiquis quaerere, quid de hac voce senserint. Atque ex Aristotele, cum dicit *hist. anim.* II 1 p. 499 b, 12: *εἰσὶ γὰρ ἐν Ἰλλυριοῖς καὶ ἐν Παιονίᾳ καὶ ἄλλοθι μώνυχες ὕες· τὰ μὲν οὖν διχαλὰ δύο ἔχει σχίσεις ὄπισθεν· τοῖς δὲ μώνυξι τοῦτ' ἐστὶ συνεχές· ἔστι δὲ καὶ τὰ μὲν κερατοφόρα τῶν ζῴων, τὰ δ' ἄκερα. τὰ μὲν οὖν πλεῖστα τῶν ἐχόντων κέρατα διχαλὰ κατὰ φύσιν ἐστίν οἷον βοῦς καὶ ἔλαφος καὶ αἴξ· μώνυχον δὲ καὶ δίκερον οὐδὲν ἡμῖν ὦπται. μονοκέρατα δὲ καὶ μώνυχα ὀλίγα οἷον ὁ Ἰνδικὸς ὄνος*, dilucide apparet, eum *μῶνυξ* idem esse ac „solidis ungulis“ putasse; neque aliter res se habet apud Plat. *Polit.* IX p. 265 D: (de grege) *πότερον οὖν βούλει τῷ σχιστῷ τε καὶ τῷ καλουμένῳ μώνυχι διαιρεῖν αὐτὴν;* Sed Euripidem[1] aliam interpretationem huic voci subiecisse, quin etiam vocis originem aliunde ducendam esse, nuper Bodenheimer affirmavit, qui dicit[2]: „multo aptius et verisimilius voce *μῶνυξ* equus u n g u l i s f e s t i n a n s notatur a poetis epicis.“ Atque sententiam suam maxime confirmari putat loco supra commemorato *Iph. Aul.* 250, „quod epitheton *μῶνυξ* currui appositum nihil aliud nisi currum c e l e r e m significare potest.“ Cui primum opponam, *ἅρμα* hoc loco per levem quandam immutationem pro *ἵπποι* positum esse, quod (sicut latine „iugum“) saepe fieri solet. Agitur enim non de curru quodam pennis instructo, sed de equis pinnatis curru iunctis; quod ut facilius intellegeretur, poeta *μῶνυξ* epitheton adiecit, quod equorum insigne proprium ac peculiare erat neque aliter atque „solidis ungulis instructus“ explicabatur. Is vero,

[1] item Solon. (Bergk⁴) frg. 23, Theogn. 997. 1253, 1255.

[2] l. l. p. 62 sq.

cui omnibus quae adhuc disputavi argumentis nondum persuadere potui, intelleget ex paraphrasi Euripidis, quid de vocis *μῶνυξ* significatione poeta senserit, *Iph. Aul.* 225: (*ἵππους*) *μονόχαλα δ' ὑπὸ σφυρὰ ποικιλοδέρμονας*.

Orest. 821:

μελάνδετον δὲ φόνῳ
ξίφος ἐς αὐγὰς ἀελίοιο δεῖξαι.

Adiectivum *μελάνδετος* cum semel tantum apud Homerum inveniatur *O* 713:

πολλὰ δὲ φάσγανα καλὰ μελάνδετα κωπήεντα,

non mirum est, quod diversis explicationibus tentatum sit Atque Faesi, La Roche „iuncturas ferreas (nigras), quibus capulum et lamina gladii iuncta erant“, intellegi volunt, Passow „vaginam ferratam“. Rectius autem Ebelingius *μελάνδετος* idem esse censet atque „capulo nigro instructus, mit dunkelem Heft“; quod iam veteribus grammaticis maxime arrisit, ex quibus conferas schol. *B* ad *O* 713: *μελάνδετα· σιδηρόδετα, ἐπεί φησιν Ἡσίοδος* (Opp. 151) *„μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος“. οἷον ἐκ σιδήρου τὰς λαβὰς ἔχοντα δεδεμένας· τὴν δὲ λαβὴν δεσμὸν καλεῖ ὁ Σιμωνίδης*.[1] Sed haec interpretatio, quam acuto Alexandrinorum ingenio debemus, tragicorum poetarum aetate nondum valebat. Nam Aeschylus cum adiectivum *μελάνδετος* scuto attribuit (*μελάνδετον σάκος Sept.* 43), idem quod voce *χαλκόδετος* designare videtur (*κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων Sept.* 160); itaque *μελάνδετος* hoc loco vertendum est: „dunkel beschlagen“.

Euripides vero etiam hanc explicationem, quae quidem pristinae notionis speciem retinuerat, ignorasse dilucide inde apparet, quod nostro loco *φόνῳ μελάνδετος* coniunxit; adiectivo *μελάνδετος* igitur „nigri“ tantum notionem inesse putabat,

[1] Minus intelleguntur ea quae sequuntur: οἱ δὲ ἐπιμελῶς ἐνδεδεμένα ὡς πρὸς τὴν λαβήν.

neque errat scholiasta h. l. cum dicit: *μελάνδετον· . . . . . ἢ μέλαν παρὰ τοῦ φόνου γενόμενον. πολλὰ δέ εἰσι τὰ τοιαῦτα σύνθετα, οἷον „κελαινεφὲς αἷμα“, οἷον τὸ νέφος οὐκ ἔγκειται, οὕτως καὶ ἐνταῦθα τὸ δεδέσθαι οὐκ ἔγκειται.* — Neque aliud significare videtur *Phoen.* 1091 :

πύργων ἐπ᾽ ἄκρων στὰς μελάνδετον ξίφος
λαιμῶν διῆκε,

quod libenter concedas simili loco comparato *Orest.* 1472:

παίειν λαιμῶν
ἔμελλεν εἴσω μέλαν ξίφος.

Orest. 1480.

Ἕκτωρ ὁ Φρύγιος, ἢ τρικόρυθος Αἴας.

Utar hoc exemplo ut demonstrem, nonnunquam multum interesse ad voces recte explicandas perquirere, utrum ex glossa quadam epica fluxerint necne. *Τρικόρυθος*[1] enim adiectivum, quod Aiaci hoc loco attribuitur, si ex ipsius tantum compositione interpretari studebis, complures explicationes invenies, quae prostant apud schol. h. l.: *ὅτι ἔνιοι τῶν ἡρώων τριλόφοις ἐχρῶντο,* atque: *τρικόρυθος ὁ μεγάλην ἔχων περικεφαλαίαν,* quarum illa a vocis significatione aliena, haec nimis incerta est, quam ut ad vocis vim enucleandam revera faciat. Ea vero quam tertiam affert schol.: *ὅμοιον δέ ἐστι τῷ* (*Λ* 353) *„τρίπτυχος αὐλῶπις“*, sola ad veritatem accedit, quippe quae ad eam vocem recurrat, quae in adiectivo *τρικόρυθος* fingendo Euripidis animo obversata est. *Τρίπτυχος τρυφάλεια* autem nihil aliud est nisi „galea tribus coriis vel laminis confecta“, neque scio an Euripides adiectivo *τρικόρυθος* usus sit, quod „crepido triplex trium galearum sibi superimpositarum speciem referret.“[2]

---

1 τρίκορυς invenitur *Bacch.* 123 : τρικόρυθες Κορύβαντες.

2 Cf. Lobeck ad Soph. *Ai.* 847.

Hoc igitur loco non glossa quaedam Homerica verbo usitato explicatur, sed vox quaedam novata eo, ad quod ficta est, verbo Homerico illustratur.

Phoen. 208 sqq.

Phoenissae ad Apollinis Delphici templum iturae de itinere, quod ab urbe Tyro profectae permensae sunt, haec dicunt:

Ἰόνιον κατὰ πόντον ἐλά-
τᾳ πλεύσασα περιρρύτων
ὑπὲρ ἀκαρπίστων πεδίων
Σικελίας Ζεφύρου πνοαῖς
ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ
κάλλιστον κελάδημα.

Scholiasta h. l. haec praebet: *ἀκάρπιστα πεδία οἱ μὲν τὰ πολύκαρπα, οἱ δὲ τὰ θαλάσσια πεδία, ὅ ἐστι τὰ ἄκαρπα, ὥς που*[1] *καὶ ἀτρύγετος λέγεται ἡ θάλασσα,* atque: *ἀκάρπιστα πεδία τὴν θάλασσάν φησιν, ἐπεὶ πεζεύειν αἱ νῆες δοκοῦσιν ὀχήματος τρόπον, ὡς καὶ Ἴων λέγει* (*frg.* 60) *„ὅταν δὲ πόντου πεδίον Αἰγαῖον δράμω“ καὶ Αἰσχύλος Νηρεΐσι* (*frg.* 146) *„δελφινηρὸν πεδίον πόντου διαμειψάμεναι“*. Eadem invenies apud schol. *AB* ad *O* 27 : *ἀτρύγετον . . . . . ἄκαρπον*[2]*. παρὰ τὴν τρύγην, ὡς Εὐριπίδης, ἀκάρπιστα πεδία λέγων τὴν θάλασσαν.* Consentiunt igitur inter se veteres grammatici, Euripidem verbis *ἀκάρπιστα πεδία* interpretatum esse Homeri illud *ἀτρύγετος πόντος*, quod quam varie explicatum sit, optime colligas ex Apoll. Soph. 46,16: *ἀτρυγέτοιο ἐπιθετικῶς τῆς θαλάσσης. οἱ μὲν ἀτρυγέτου ἀκαταπονήτου ὑπ᾽ ἀνέμου καὶ τῶν ἄλλων, κατὰ παρέμπτωσιν τοῦ γ*[3]*. οἱ δὲ τῆς βαθείας ὡς τρύγα μὴ ἔχειν, μεταφορικῶς, ἐπειδὴ τέλος τοῦ οἴνου τρύξ. οἱ δὲ ὑπόστασιν μὴ ἐχούσης,*

---

1 ὥς που B, ὅπου TA.

2 Cf. E.M. 167,23, Hesych. s. v.

3 Cf. Herodian (L) II p. 284,12 : ἀτρύγετος· παρὰ τὸ τρύειν πλεονασμῷ· ἄτρυτος γὰρ ἀτρύετος καὶ πλεονασμῷ τοῦ γ ἀτρύγετος; cf. Hes. s. v ἄτρυτον et ἀτρύγετος.

ἐπεὶ πάντα ἐκβράσσονται, καὶ οὗτοι μεταφορικῶς ἀπὸ τρυγός. οἱ δὲ τρύγην μὴ ἐχούσης, τὸν καρπόν, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς γῆς. — Quarum interpretationum quaenam vera sit, nostris quidem temporibus haud scio an nemo[1] diiudicet; tamen maxime mihi arridere confiteor illam, quae ultima tradita est[2]. Eandem autem Euripidi quoque probatam esse veteribus grammaticis, qui verbis *ἀκάρπιστα πεδία* paraphrasin inesse sententiae Homericae *ἀτρύγετος πόντος* putabant, persuasum erat, nec minus Horatio, qui cum dicit *carm* IV 4,43:

vel Eurus
Per Siculas equitavit undas,

Euripidis locum certo in usum suum convertit. Tamen recentiores viri docti huic opinioni assentiri suo iure magnopere dubitaverunt; de qua re Geelius[3] primus fusius egit. Atque primum quidem offendimus in eo, quod, si veterum opinionem sequimur, *περίρρυτος* adiectivum hoc uno loco transferendum est „circumfluens“, non, ut solemus, „aqua circumdatus“. Tum[4] „recte conferretur Homericum *θάλασσα ἀτρύγετος*, si Euripides maris vel salis nomen addidisset, quod, nisi me memoria fallit, nunquam omiserunt veteres[5] in hac metaphora.“ Nos vero, ut aliter Euripidis verba explicemus atque veteribus probatum erat, maxime adducimur eo, quod Euripides vocem *Σικελίας* sententiae adiecit. Nam si verbis „*ἀκάρπιστα πεδία*“ verti affirmaveris Homericum „*ἀτρύγετος πόντος*“, cur poeta tragicus mari tantum illo, quod Siciliam circumfluit, hoc epitheton attribuit? —

Fac contra vocem *πεδία* proprio sensu, ut ipsa Siciliae terra significetur, positam esse, iam omnia quadrare videbis. In uno tantum vocabulo *ἀκάρπιστος* explicando haud scio an

[1] Cf. L. Meyer, *Griech. Etym.* I p. 99 sq.

[2] Bodenheimer l. l. p. 35 sq, qui nostrum locum neglexit, aliter sentit.

[3] Euripidis *Phoen.* ed. Geel 1846.

[4] Cf. Geelium l. l.

[5] Cf. supra schol. ad *Phoen.* 209 (Jon *frg.* 60, Aesch. *frg.* 146).

paululum haereas. Atque imprimis ne scholiastae h. l. interpretationem probes qui dicit: *ἀκάρπιστα δὲ πεδία οἱ μὲν τὰ πολύκαρπα*, recte monet Buttmannus *Sprachl.* II p. 466: „Wir können *α* intensivum für die Fälle, die sich jeder anderen Erklärung entziehen, annehmen; aber man darf dies durchaus nicht so verstehen, als hätten beide Bedeutungen (*α* privativum und intensivum) in der Sprache nebeneinander so bestanden, dass es wohl gar jedesmal freigestanden hätte, ein Wort so oder so zu erklären.“ Adiectivum *ἀκάρπιστος* contra, cum nostro tantum loco inveniatur, singulari modo oportet interpretemur, neque dubito ei quam Geelius profert explicationi assentiri: cum *καρπίζειν* non tantum sit „terram fertilem reddere“, sed *καρπίζεσθαι γῆν* „fruges demetere“ et „terram crebra satione exhaurire“, Sicilia dici potuit *ἀκάρπιστος* i. e. tanta fertilitate, ut semper fruges ferret nec plane fatigari posset; quam Sophoclis verbis dixeris *Antig.* 339: *γᾶν ἄφθιτον ἀκαμάταν*. — Quam interpretationem eo facilius accipias, quo magis tecum reputaveris, famam opum divitiarumque Siciliae per totam Graeciam concelebratam fuisse. — Itaque persuasum habeo, Euripidem verbis *ἀκάρπιστα πεδία* paraphrasin praebere Homerici *ἀτρύγετος* minime in animo habuisse. Quod si veteres grammatici credebant, certo errabant; et Horatius quoque errabat, quippe qui grammaticorum illorum disciplinam accepisset.

Phoen. 666 sqq:

(*Κάδμος*) *δίας ἀμάτορος φραδαῖσι Παλλάδος*
γαπετεῖς δικὼν ὀδόντας
ἐς βαθυσπόρους[1] *γύας.*

Βαθύσπορος cum singulare[2] quoddam adiectivum sit, operae pretium esse videtur perquirere, utrum ab Euripide ipso fictum an aliunde depromptum sit. Neque dubitare quem-

[1] Βαθύσπορος adiectivum redit paulo ante (v. 647), qui locus corruptior est, quam ut certi quidquam ex eo colligi possit.

[2] apud Euripidem solum invenitur; nam Orph. *hymn.* XI 14 non βαθύσπορον, sed βαθύρροον scribendum est.

quam puto, quin Euripides Homericum illud *βαθυλήιον* verterit, quod semel legitur Σ 550:

ἐν δ' ἐτίθει τέμενος βαθυλήιον· ἔνθα δ' ἔριθοι
ἤμων ὀξείας δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες.

Quo loco quamquam optimi libri *βασιλήιον* tradunt, quod Nauckius recepit, tamen ex Hes. *scut.* 286 sq, qui totum Homeri locum manifesto imitatus est:

οἱ δ' ἀροτῆρες
ἤρεικον χθόνα δῖαν, ἐπιστολάδην δὲ χιτῶνας
ἔσταλατ'· αὐτὰρ ἔην βαθὺ λήιον· οἵ γε μὲν ἤμων
αἰχμῇσ' ὀξείῃσι κορωνιόωντα πέτηλα,

comparato apparet, *βασιλήιον* reiciendum esse. Nos vero non *βαθὺ λήιον* scribendum, sed *βαθυλήιον* epitheton cum *τέμενος* copulandum esse censemus, quod exhibet schol. *A* ad Σ 550: *γράφεται βαθυλήιον*[1] et ex nostro Homeri loco deprompsit Apoll. Rhod. I 830 al. Idem adiectivum iam quinto ante Chr. natum saeculo in libris extitisse, ex Euripidis paraphrasi *βαθύσπορος* facile intellegas.

Ex nostro autem loco discimus, Euripidem adiectivo illi *βαθυλήιον* non eam quam nos solemus notionem „altis segetibus consitus" subiecisse — nam serpentis dentes minime agris frumento abundantibus inseruntur —, sed aliam magis in universum spectantem, ita ut „fertilis" significaret.[2] Eadem ratione Apoll. Rhod. I 830 adiectivo *βαθυλήιος* usus est:

περὶ γὰρ βαθυλήιος ἄλλων
νήσων, Αἰγαίῃ ὅσαι εἰν ἁλὶ ναιετάουσιν,

neque aliter Anth. Pal. IX, 110:

οὐ στέργω βαθυληίους ἀρούρας,
οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης.[3]

---

[1] item E.M. 185,40.

[2] Cf. Eurip. *Andr.* 634: πολλάκις δέ τοι ξηρὰ βαθεῖαν γῆν ἐνίκησε σπορᾷ, ubi βαθύς = fertilis.

[3] Cf. etiam E.M. 185,40. βαθυλήιος· ἀντὶ τοῦ πολυλήιος, πολύσιτος.

Rhes. 355.

Rhesum ipsum chorus alloquitur his verbis:

σύ μοι Ζεὺς ὁ φαναῖος
ἥκεις διφρεύων βαλιαῖσι πώλοις.

Quid hoc loco adiectivo *βαλιός* significatur? — Apud Homerum equus Achillis nomine *Βαλίος* appellatur *Π* 149:

Ξάνθον καὶ Βαλίον, τὼ ἅμα πνοίῃσι πετέσθην

(item *Τ* 400), neque dubitari potest, quin hoc nomine, quippe quod cum *Ξάνθος* coniungatur, equi color notetur, a quo omnibus temporibus equi nomina acceperunt; atque cum interpretetur *E.M.* 186, 28: *βαλιός· σημαίνει δὲ καὶ τὸν ποικίλον,* idem valere videtur ac nostrum „scheckig"[1]. Aliter autem res se habet, si epicos posterioris aetatis poetas respicis, velut Oppian. *cyn.* II 314:

καὶ βαλίων δὲ πόθος τις ἐνέστακται φρεσὶ θηρῶν

atque Nonn. *Dion.* IX 156: *βαλίῃσιν αὔραις,* ubi nihil aliud significare potest nisi „celer"[2], quam interpretationem invenimus *E.M.* 186, 31: *βαλίαι· αἱ ταχεῖαι· παρὰ τὸ βάλλειν καὶ ταχέως φέρεσθαι τὸ βαλλόμενον· ἢ παρὰ τὸ πάλλεσθαι διὰ τὸ τάχος.*

Sed quaerendum est, nonne vestigia huius mutatae notionis iam apud priores poetas persequi possimus. — Adiectivum *βαλιός* apud unum Euripidem, quod quidem sciamus, invenitur. Atque *Iph. Aul.* 220 sqq:

πώλους κέντρῳ θεινομένους
τοὺς μὲν μέσους ζυγίους
λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιούς,
τοὺς δ' ἔξω σειροφόρους
ἀντήρεις καμπαῖσι δρόμων
πυρρότριχας

---

[1] Cf. Pauly-Wissowa s. v. Balios.

[2] Similem notionis ambiguitatem invenimus in adiectivo αἰόλος explicando.

duo equorum genera colore certo distinguuntur, *Alcest.* 579:

> *σὺν δ' ἐποιμαίνοντο χαρᾷ μελέων βαλιαί τε λύγκες,*
> *ἔβα δὲ λιποῦσ' Ὄθρυος νάπαν λεόντων*
> *ἁ δαφοινὸς ἴλα,*

cum *δαφοινός* adiectivum non „cruentus" significet, sed ad illud Homeri *K* 23: *δαφοινὸν δέρμα λέοντος* dictum sit, *βαλιαί* quoque ad colorem pertinere videtur. In dubio autem relinquamus locos *Hec.* 90: *εἶδον γὰρ βαλιὰν ἔλαφον*, *Hipp.* 218; *βαλιαῖς ἐλάφοις ἐγχριμπτομέναι*, quamquam illum respexit Hesychius s. v. *βαλιὰν ἔλαφον· κατάστικτον, ποικίλον* (cf. Suidas s. v.). Nostro vero loco supra commemorato *Rhes.* 355 *βαλιός* minime voce „scheckig" verti potest, cum dilucide iidem equi nominentur: *χιόνος ἐξαυγέστεροι*[1] (v. 304) atque similiter v. 617: (*πῶλοι*) *λευκαὶ δέδενται, διαπρεπεῖς ἐν εὐφρόνῃ· στίλβουσι δ' ὥστε ποταμίου κύκνου πτερόν*, immo „celeritatis" significatio adiectivo inest, quod minime fugit scholiastam h. l. qui dicit: *δύναται ἀντὶ τοῦ ταχείαις*. Neque mirum est, quod *βαλιός* adiectivo alia notio subiecta est in hac Rhesi tragoedia, quippe quae non sit Euripidea.

Suppl. 79 sqq:

> *ἄπληστος ἅδε ἐξάγει χάρις γόων*
> *πολύπονος, ὡς ἐξ ἀλιβάτου πέτρας*
> *ὑγρὰ ῥέουσα σταγὼν,*
> *ἄπαυστος ἀεὶ γόων.*

Qui locus spectare videtur ad illud Homeri *I* 13 al:

> *ἂν δ' Ἀγαμέμνων*
> *ἵστατο δάκρυ χέων ὥς τε κρήνη μελάνυδρος,*
> *ἥ τε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνόφερον χέει ὕδωρ.*

[1] quod fictum est ad Homeri K 437 (de eiusdem Rhesi equis): λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Sed Euripides ut similitudines Homericas multum contractas reddere solet, ita hic quoque summam tantum sententiam tangit; nisi forte quisquam putat, pro *αἰγίλιψ* adiectivo ab Euripide *ἀλίβατος* positum esse; quod ad vocabuli Homerici etymon enucleandum nihil interest, cum alterum altero difficilius sit explicatu. Similiter res se habet *Andr.* 116: *τάκομαι ὡς πετρίνα πιδακόεσσα λιβάς*. Paulo tamen accuratius poeta tragicus Homeri verba expressisse videtur *Andr.* 532 sqq:

> *λείβομαι δάκρυσιν κόρας,*
> *στάζω λισσάδος ὡς πέτρας*
> *λιβὰς ἀνήλιος ἁ τάλαιν'.*

In Homeri sententia autem quaerendum est atque a recentioribus non minus quam a veteribus grammaticis quaerebatur, quid illud *μελάνυδρος* significet. Atque Apoll. Soph. 110, 22 haec praebet: *μελάνυδρος ἤτοι κυρίως ἢ πολύυδρος. χρὴ δὲ νοεῖν τὴν κατὰ βάθος ἔχουσαν ὕδωρ, ἐπεὶ πᾶν τὸ κατὰ βάθος μέλαν φαίνεται*[1], cui Doederlein *Gloss.* 2151 assensus est. Quod ne rectum esse censeas, impedit versus *I* 15, cum epitheton *δνόφερος* = *μέλας* attribuatur aquae de saxo desilienti, quae minime *πολύυδρος* vel *βαθύυδρος* esse potest. Aliam vero sententiam Euripides praebet, cum adiectivum *ἀνήλιος*[2] addit; putat igitur aquam nigram appellari, quod fons ille vel in valle profunda effundatur vel opacis arbustis obsitus sit, ita ut solem accipere nequeat.[3] —

[1] Cf. schol. A ad I 14.

[2] Heimsoethius (*Krit. Stud. zu griech. Trag.* I p. 71) si secum reputasset totam similitudinem ex Homero depromptam esse, pro ἀνήλιος adiectivo ἀνήνυτος vel ἀνήριθμος scribendum esse non coniecisset.

[3] Cf. Soph. *O.C.* 676: φυλλάδα μυριόκαρπον ἀνάλιον.

VITA.

Natus sum Albertus Guilelmus Kahlenberg Guilelmi filius, matre Albertina e gente Beetz, in vico qui vocatur Napoleonsinsel prope Mulhusam Alsatiae superioris sito a. d. XIX. Kal. Sept. anni MDCCCLXXIX; fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus receptus sum discipulus gymnasii Mulhusiensis. Anno MDCCCXCVII maturus renuntiatus Mulhusae stipendia merui, deinde in academiam Argentinensem me contuli apud philosophorum ordinem nomen professurus. Docuerunt me viri clarissimi Groeber Heinze (nunc Berolinensis) Keil Michaelis Neumann Reitzenstein Schwartz (nunc Gottingensis) Thraemer Windelband Ziegler; exercitationibus me admiserunt Groeber Francogallicis, Keil et Neumann historicis, Thraemer numismaticis, Windelband philosophicis. Proseminario philologico interfui per ter sex menses; deinde ut seminarii philologici sodalis ordinarius essem duos annos — per alterum senior — summa benignitate permiserunt Reitzenstein et Schwartz; quibus, sicut omnibus praeceptoribus meis, gratiam quam maximam habere nunquam desistam.

Ortus est hic libellus ex dissertatiuncula, quam scripseram ad obtinendum praemium a philosophorum ordine anno MCMI propositum; in qua augenda et in eam quam nunc praebet formam redigenda uti mihi licuit consiliis optimis Brunonis Keil, cuius erga me liberalitatem grata semper memoria comprehendam.